
PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. XLVIII 1959 - FASC. I



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1959

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

S. S. C. S. Officii

S. C. de Prop. Fide

S. C. Caeremonialis

S. Poenitentiaria Apostolica

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. XLVIII 1959 - FASC. I

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1959

IMPRIMI POTEST

Romae, die 6 martii 1959

P. PAULUS MUÑOZ VEGA, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 10 martii 1959

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

SACRAMENTA ET ECCLESIA
Ius canonicum - Cultus - Pneuma *

Etsi in ultimis decenniis abunde effloruit theologia de sacramentis et de Ecclesia, multa manent problemata. Inter ea est etiam problema de unitate inter formam externam et realitatem spiritualem.

Encyclica *Mystici Corporis* reicit antithesim inter Ecclesiam Iuris et Ecclesiam Amoris [1], et omnis catholicus inhaesitanter hanc condemnationem accipiet. At quaenam est, in una Ecclesia, relatio positiva inter aspectum iuridicum et aspectum pneumaticum? Encyclica prosequitur: Nulla veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter duo elementa, « quippe quae, — ut in nobis corpus animusque — se invicem compleant ac perficiant » [2].

De his verbis theologia hucusque parum cogitavit. Quis conatus est explicare, quo modo ius complet immo perficit amorem? Magnum hoc problema ecclesiologiae magis adhuc intricatum factum est, ex quo Ecclesiam, praeterquam ut so-

---

* *Versionem latinam curavit Redactio.*

1 n. 62 s; AAS 35, 1943, 223 s.

2 n. 63, p. 224.

cietatem iuris et amoris, etiam vident ut societatem cultus [3].

Responsum huic quaestioni dandum quaeri debebit collata doctrina de sacramentis. Ibi enim simile adest problema. Ab antiquo mirantes admirabantur unitatem, quae in sacramento habetur inter humilitatem figurae externae et altitudinem gratiae interne datae. At hic etiam res magis complexae factae sunt, ex quo theologia, secuta Billot, iterum intelligere coepit momentum characteris, quod S. Thomae est « res et sacramentum », id est realitas velata et signum revelans; et ex quo, post Casel et Schillebeeckx, sacramenta videre coepit, praeterquam ut media gratiae, etiam ut actus cultus.

In iis quae sequuntur conabimur delineare solutionem horum problematum, dato opere considerando sacramenta sub luce doctrinae de Ecclesia, et vice versa considerando Ecclesiam sub luce theologiae de sacramentis. Mirum enim est, quam parum theologia etiam recentior cogitavit de aspectu ecclesiastico sacramentorum, dum tamen prima elaboratio doctrinae de sacramentis, quam fecit S. Augustinus, tota erat in functione problematis de Ecclesia.

Quae sequuntur non praebent nisi conamen solutionis. Plena probatio nostrae sententiae, vel efficax tractatio omnium difficultatum quae contra illam moveri possent, longe excederet limites articuli. Nobis tamen videtur, expositionem quae sequitur organice efflorescere ex magna traditio-

---

[3] F. Malmberg, *De Kerk als Christusgemeenschap* (1941).

ne theologica quam efformant Patres Ecclesiae et magni doctores scholastici.

Expositio nostra proficiscitur imprimis a doctrina sacramentorum, ut inde perveniamus ad ecclesiologiam. Theoretice praeferenda esset via inversa, quia structura sacramentorum, utpote actionum Ecclesiae, derivatur a structura Ecclesiae. At in hoc campo theologia est adhuc in « via inventionis », quae incipit ab iis, quae sunt « magis nota quoad nos ». Cum autem magni doctores scholastici elaboraverint quidem tractatum de sacramentis, non autem tractatum de Ecclesia, doctrina de sacramentis adhuc habenda est ut « magis nota ».

* * *

Quae sequuntur, supponunt duo principia ex doctrina thomistica de sacramentis, quae in alia occasione forsitan profundius indagari poterunt, nunc autem absque discussione proponuntur.

Primum principium est actionis *instrumentalis* sacramentorum. Quomodo S. Thomas intelligit instrumentalitatem, iam pluribus abhinc annis egregie exposuit P. Hugon [4], ita ut nobis sufficit breviter indicasse proprietates magis essentiales actionis instrumentalis. Actio causae principalis et instrumenti vere una est. Inde id quod efficiunt unum quoque est. Potest quidem, in illa unitate actionis et effectus, distingui inter elementum connaturale causae principalis, et aliud elementum

---

4 E. Hugon O. P., *La causalité instrumentale en théologie* (1907).

connaturale naturae propriae instrumenti. Ne autem, ob distinctionem elementorum, obliviscamur, unam esse operationem unumque effectum, ita ut quod facit instrumentum, totum sit operatio causae principalis, et quod facit causa principalis totum efficitur ab instrumento. Talis autem unitas composita in operatione et effectu S. Thomae non est intelligibilis nisi ut unitas actus et potentiae. Inde instrumentalitas supponit, actionem connaturalem instrumenti esse in potentia ad actionem connaturalem causae principalis; et in uno effectu elementum, quod est connaturale instrumento, esse in potentia ad elementum quod est connaturale causae principalis. Aliis verbis, in uno effectu operationis instrumentalis adest elementum inferius, quod se habet ut « dispositionem » ad elementum superius. Haec plenius indagare nunc superfluum est.

At etiam in conceptione operationis instrumentalis sacramentorum, quae, a S. Thoma elaborata, fertilissima visa est, latet problema, quod intime cum nostra quaestione cohaeret. S. Thomae enim sacramentum est instrumentum in manu Dei non tantum, sed etiam Christi [5], cuius nomine et cuius virtute homo administrat sacramentum [6], et

---

[5] *Summa* III q. 64 a. 1.

[6] Summa III q. 22 a. 4 c: « Christus autem est fons totius sacerdotii. Nam sacerdos legalis erat figura ipsius; sacerdos autem novae legis *in persona ipsius* operatur ».

q. 26 a. 1 ad 1: « Sacerdotes vero Novi Testamenti possunt dici mediatores Dei et hominum, in quantum sunt *ministri* veri mediatoris, *vice ipsius* salutaria sacramenta hominibus exhibentes ».

q. 82 a. 1c: « Sacerdoti cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi *in persona Christi*.

etiam Ecclesiae, cuius est minister [7]. Si igitur sacramentum est instrumentum Ecclesiae, Christi, Dei, statim surgit quaestio, quomodo se habet operatio harum causarum sanctificationis sacramentalis. Quomodo se habet operatio visibilis Ecclesiae ad operationem sacerdotalem Christi et ad operationem Spiritus Sancti?

Alterum principium magnorum scholasticorum in sequentibus supponitur, quod recenter receptum est etiam a magisterio ecclesiastico [8], scilicet « sacramenta significare id quod operantur, et operari id quod significant ». Eo quidem sensu, quem S. Thomas tribuit huic principio, nempe ea operari « significando »: « significando efficiunt, unde efficiunt quod significant » [9]. Operatio salutaris sacramentorum nititur eo quod sunt signa, ut signa salutis ferunt virtutem sanctificantem. Hac de causa subordinatio in instrumentalitate correspondebit subordinationi in significando, immo illa hac nitetur. Quomodo haec unitas inter significare et efficere ulterius explicari debeat, est quaestio quam hic profundius indagari nequit [10]. Pro nostro scopo sufficit, notasse parallelismum inter utrumque aspectum.

---

[7] Summa III q. 64 a. 8 ad 2: « Minister sacramenti agit *in persona* totius Ecclesiae cuius est minister ».

4 *c. Gent.* 73f: « Intelligitur hoc sacramentum perficere *in virtute* totius Ecclesiae, cuius *minister* existit et cuius *personam* gerit ».

[8] Leo XIII, *Apostolicae Curae* (1896) Denz. 1963; Pius XII, *Sacramentum Ordinis* (1947) Denz. 3001.

[9] 4 *Dist.* 27 q. 1 a. 2 sol. 3. Cf. H. Schillebeeckx, *De sacramentele heilseconomie* (1952) p. 175 s.

[10] cf. *Annarium* Societatis Theologorum Catholicorum in Neerlandia, 1957.

* * *

Indagatio nostra non poterit non esse valde analytica. Inde convenire videtur ut paucis verbis interim sententiam nostram complectamur.

In Ecclesia tres distingui possunt gradus essendi et agendi, qui separandi non sunt, immo internam unitatem constituunt: Ecclesia ut societas iuridica, Ecclesia ut societas cultus, Ecclesia ut societas gratiae. Hisce tribus gradibus correspondent tria principia activa connaturalia: Ecclesia ut societas hominum, Christus Sacerdos Magnus, S. Spiritus ut divina sui communicatio.

Triplicitas in sacramento: sacramentum externum, character (vel quod characteri in aliis sacramentis correspondet), gratia spiritualis, concordat huic triplicitati in esse Ecclesiae et triplicitati principiorum activorum connaturalium. In sacramento tria haec elementa in unum coalescunt relatione signi et significati, instrumenti et causae principalis; ita tres gradus essendi in Ecclesia inter se unum sunt, quia se habent ad invicem ut signum ad significatum, ut instrumentum et causa principalis. Id quod iuridicum est in Ecclesia, est signum et instrumentum illius quod est cultus, seu operationis sacerdotalis Christi. Et iterum id quod est cultus, est signum et instrumentum illius quod est pneumaticum, operationis scilicet sanctificantis Spiritus Sancti. Seu aliis verbis: operatio salvifica Dei, quae est Spiritus Sanctus, se ‘ externat ’ et se realisat in operatione sacerdotali Christi et per eam. Et illa operatio sacerdotalis Christi ite-

rum se ‘ externat ’ et se realisat in agere iuridico Ecclesiae et per eam.

In iis quae sequuntur initium semper erit analysis singulorum horum elementorum in sacramento et Ecclesia. Ideo distinctio maxime apparebit. Ne tamen obliviscaris, esse distinctionem elementorum quae unum quid constituunt. Nullum elementorum distinctorum proinde separari potest ab aliis; etiam hoc exponetur. Id quod iuridicum est pertinet ad essentiam illius quod est cultus christiani et pneumaticum; et id quod est pneumaticum pertinet ad essentiam illius quod est cultus christiani et iuridicum. Unitas Ecclesiae et sacramentorum praecedit distinctioni elementorum.

I. Sacramentum ut actus iuridicus

Emergit iterum aspectus socialis sacramentorum. Diu nimis visa sunt momenta individualis omnino sanctificationis in intima solitudine Dei et animae. In eucharistia, praeter occultam delectationem praesentiae Jesu, iterum vivitur convivium amoris plenum fratrum et sororum, una celebratione, in una mensa, unum panem fruentium. Renovata vigilia paschali baptismum solemne iterum locum suum habere potest medio in conventu fidelium. Hodie ordinatio sacerdotis non amplius habebitur merum privilegium personale ipsius vocati, sed etiam ut donum Dei populo suo datum [11].

---

[11] C. M. Travers O. P., *Valeur sociale de liturgie* (1946), p. 219.

Forsitan umquam invenientur formae, quae etiam in sacramento poenitentiae visibile reddent momentum sociale: etsi numquam reditura videtur cruda publicitas antiquitatis et medii aevi antiquioris.

Theologia autem vix cogitavit de hoc aspectu sociali. Et pauci, qui ut Scheeben, Mersch, Casel, Travers, cogitaverunt de momento sociali sacramentorum, videbant tantum aspectum socialem in gratia vel in cultu, praetereuntes illam humilem realitatem, quam vocare possumus elementum *iuridicum* sacramentorum. Discordia inter theologos, qui saeculo duodecimo Lutetiae Parisiorum castra communiebant, et iurisperitos, qui Bononiae castellum erigebant, nondum est sanata [12]. Quod damnum est grave utrisque!

Quaedam sacramenta effectum iuridicum habere est evidens. « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis » (C.I.C. can. 87). Aeque clarus est effectus iuridicus ordinis sacerdotalis et matrimonii. Solus effectus iuridicus confirmationis in legislatione hodierna est quod receptio eius requiritur ad matrimonium ineundum et ad ordinem recipiendum (can. 1021 § 2; can. 993 1°). Quod extremam unctionem attinet: aegrotus qui *viaticum* recepit non amplius tenetur *jejunio eucharistico;* quae forsitan reliquiae sunt illius temporis, quo adhuc sciebant, aegrotum, hoc sacra-

---

[12] J. De Ghellinck S. J., *Le mouvement théologique au XIIe siècle,* 2 ed. (1948) p. 509 s.
I. Forchielli - A. Stickler, *Studia Gratiana,* 1953.

mento recepto, novam acquirere relationem ad Ecclesiam iuridicam. Omnibus notum est quantopere tempore antiquo in poenitentiae sacramento praevaluit iuridica reconciliatio cum Ecclesia; etsi ius canonicum modernum disiungit *forum sacramentale* et *forum externum,* nec hodie huic sacramento desunt aspectus iuridici [13]. In iure moderno eucharistia vix habere videtur effectus iuridicos. Attamen non casu fortuito accidit, quod idem nomen communio significat participationem eucharistiae et communionem cum Ecclesia. Nam ab antiquo participatio unius mensae Domini erat realisatio unitatis iuridicae, et qui abrumpebat *intercommunionem* eucharisticam insimul abrupit communionem ecclesiasticam, ut firmiter probaverunt L. Hertling et N. Elert [14]. Inde ille scribere potuit: « Communio igitur est institutio sacramentalis, et insimul ac inseparabiliter institutio iuridica » (p. 24). An forsitan tam severa prohibitio *communionis in sacris* cum haereticis et schismaticis, quae valet imprimis de participatione celebrationis eucharisticae eorum, nititur persuasioni, quod haec participatio continet communionem cum fide eorum haeretica et ecclesia abscissa?

---

13 K. Mörsdorf, *Der hoheitliche Charakter der sakramentalen* Lossprechung, in: *Trier. Theol. Zeitschr.* 57 (1948) 335.

14 L. Hertling S. J., *Communio und Primat,* in: *Misc. Hist. Pont.* 7 (1943) 1-48, praesertim 6-10; 17: « Auch bei diesem « Abbruch der Beziehungen » ist das Eigentliche, um das es sich handelt, die Teilnahme an der Eucharistie ».

W. Elert, *Abendmahl und Kirchengemeinschaft in der Alten Kirche* ((1954). V. gr. p. 149: « In welcher Gemeinschaft einer steht, das heisst, zu welcher Kirche einer gehört, das erkennt man daran, wo er kommuniziert ».

A priori quoque probari potest, sacramenta esse actus iuridicos. Ius enim non est aliud ac « norma societatis publicae »[15], et ius canonicum « ordo socialis externus Ecclesiae »[16]. Sacramenta autem pertinent ad illum ordinem publicum et visibilem societatis. In sacramentis enim quis recipit munus visibile in visibili societate humana Ecclesiae, vel fit consors eius activitatis visibilis.

Immo canonistae moderni longius procedentes declarant, sacramenta esse originem iuris Ecclesiae. Ita scribit HEGGELBACHER: « Insimul cum sacramento adest institutio, quae constituit vinculum iuridicum[17]. Et HOFMANN: « Origo iuris canonici ex cultu magis adhuc a nobis canonistis respici deberet[18]. Repetunt illi, probabiliter inscientes, sententiam S. Thomae scribentis: « Fun-

---

15 Cf. P. DE BRUIN, *De iure et iustitia* (Praelectiones ineditae).

16 A. HAGEN, *Prinzipien des katholischen Kirchenrechts* (1949) p. 7.

17 O. HEGGELBACHER, *Die christliche Taufe als Rechtsakt nach dem Zeugnis der frühen Christenheit* (1953) p. 182.

18 K. HOFMANN, *Die Kirche der freihen Gefolgschaft?*, in: *Theol. Quart. Tüb.* 1 (1948) p. 11, apud HEGGELBACHER o. c., p. 183.

E. EICHMANN - K. MÖRSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts* I, ed. 6: « Kirchliche Rechtsordnung und sakramentales Leben der Kirche sind keine Gegensätze, sondern zu einer tiefgründigen Einheit verbunden ... Das Recht der Kirche birgt unter der Schale seiner Form den Geist des Herrn ».

p. 292: « Die kirchliche Hirtengewalt ruht einerseits unmittelbar auf göttlicher Sendung, anderseits auf naturrechtlicher Grundlage, weil die Kirche eine Gemeinschaft von Menschen ist, die der ordnenden Macht nicht entraten kann. Das naturrechtliche Element der kirchlichen Hirtengewalt ist jedoch sakramental geheiligt; denn die Kirche ist das umfassende Ursakrament ». Iam multo ante theologus E. PETERSON scripserat: « Auch die Recht-

damentum cuiuslibet legis in sacramentis consistit »[19].

Nam ius societatis fundatur in illis actibus, quibus haec societas, ut societas externa, constituitur. Sunt autem ipsa sacramenta quae constituunt Ecclesiam ut societatem externam, nam, ut docet encyclica *Mystici Corporis* : Ecclesia in Cruce nata est, quia ibi aqua et sanguis ex latere Christi fluentes ortum dederunt magnis sacramentis baptismatis et eucharistiae; et promulgata est in miraculo Pentecostes, in quo quidem videmus prototypum confirmationis[20]. *Membrum* Ecclesiae quis fit baptismate; nam aliae conditiones consortii ecclesiastici, quas recenset eadem Encyclica, scilicet confessio verae fidei, subiectio auctoritati hierarchicae, non esse abscissum ob gravem culpam[21], re vera non sunt nisi ulteriores explicationes eorum, quae iam plena veritate baptismatis continentur. *Auctoritas* Ecclesiae sensu strictissimo est auctoritas hierarchica, cuius nempe subiecto *per se* esse possunt soli episcopi et presbyteri. *Actus socialis* publicus, in quo haec societas humana unitatem suam exprimit et vivit, est celebratio eucharistiae, « fractio panis » (cfr. Act. Ap. 2/46).

Haec societas igitur hominum, quae est Ecclesia, est societas, quae exaedificatur sacramentis, quaeque coniungitur in celebratione sacramen-

---

sakte der christlichen Ekklesia sind Kulthandlungen » (*Das Buch von den Engeln* (1935) p. 16).

19 Thomas, 4 Dist. 7 q. 1 a. 1 sol. 1 ad 1.

20 Pius XII, *Mystici Corporis*, n. 27 ss, n. 32: AAS 35 (1943) p. 205-8.

21 *ib.* n. 21, p. 202.

ti. Ergo omne ius huius societatis, quod intimam eius naturam spectat, est sacramentale. Hoc sensu, quod actus iuridici magis essentiales sunt actus sacramentales, et quod exercitium secundarium iuris profluit ex hac unitate sacramentali atque ad eam reducit [22]. Omne ius Ecclesiae proinde quodammodo participat proprietatem essentialem sacramentorum, qua sunt signa gratiae. Omnes eius relationes et actus iuridici aut sunt sacramenta, aut ad sacramenta referuntur. Unde claret legislatoribus et rectoribus, eos non habere potestatem nisi eam, quae a Christo venit, et ad Christum reducere debet. Claret subditis, legem ecclesiasticam habendam esse ut atrium sanctuarii sacramentorum; ergo viam iuris canonici sequendam esse ut viam qua cum Christo congressuri sunt. « Secundaria » Novae Legis sunt, ut verbis utar S. Thomae « sicut dispositiva ad gratiam Spiritus Sancti, et ad usum huius gratiae pertinentia » [23].

Ex dictis theologia de sacramentis concludere debet, per se requiri ad validitatem sacramenti, ut qua tale in iure canonico agnoscatur; in disputationibus de forma et materia ritus sacramentalis hoc magis respici poterit.

Conceptio haec praebet etiam solutionem quaestiunculae, cui theologia classica insufficienter respondit. Quaeritur nempe, quomodo character sacramentalis possit esse signum, dum non est visibile. Responsum classicum sonat: quia datur

---

[22] De differentia inter sacramenta et reliquos actus iuridicos, vid.: E. Mersch, *Théologie du Corps Mystique* II (1944) p. 281.

[23] *Summa* I-II q. 106 a. 1 c, ad 1.

sacramento visibili [24]. At ita non habetur nisi visibilitas in fieri, non in esse permanente, dum character est signum permanens. Nonne visibilitas permanens characteris est in relatione iuridica ad Ecclesiam permanente, quae datur a sacramento?

II. Sacramentum ut actus cultus

Heggelbacher, postquam per integrum librum tractavit de baptismate ut « actu iuridico », in fine tamen praefert illud dicere « actum sacramentalem cum effectu iuridico » [25]. Sic significat, conceptionem iuridicam sacramentorum, etsi legitimam, manere incompletam. Nam aspectus iuridicus non est nisi elementum in structura altioris ordinis, cuius intimum est visibilitas. Natura propria aspectus iuridici sacramentorum non se revelat scientiae iuris, at tantum theologiae. Ut iam abhinc pluribus annis scripsit Carolus Feckes de conatibus conceptionis sociologicae Ecclesiae: « Tantum nitens fundamento conceptus theologici Ecclesiae quis audere potest, definire eius structuram sociologicam » [26]. Nam quod non valet de aliis societatibus humanis, valet de Ecclesia: « Revelatur in visibilibus gradus omnino novus essendi » [27]. Ecclesia vera est societas humana, tamen

---

24 Thomas, Summa III q. 63 a. 1 ad 2; a. 2 ad 4; 4 *Dist.* 1 q. 1 sol. 3 ad 3; Bonaventura, 4 Dist. 6 p. 1 a. 2; Travers, *Valeur* sociale, p. 228; Schillebeeckx, *Sacramentele Heilseconomie*, p. 508 s., p. 524.

25 O. Heggelbacher, o. c., p. 184 nota 12.

26 C. Feckes, *Das Mysterium der heiligen Kirche* (1934) p. 193.

27 *o. c.*, p. 12.

analoga reliquis omnibus. Pariter ius eius vere est ius, tamen analogum omnibus reliquis formis iuris.

Si enim ius definimus « normam societatis publicae », sequitur etiam naturam iuris aliam et aliam esse, iuxta naturam propriam uniuscuiusque societatis ut societatis visibilis. Indoles propria iuris canonici intrinsece determinatur a fine proprio Ecclesiae ut societatis visibilis.

Atqui finis proprius Ecclesiae ut societatis visibilis est « cultus divinus », sensu stricto venerationis publicae Dei. Deo in terris gloriam dare, modis visibilibus et socialibus, hoc est officium proprium Ecclesiae ut societatis visibilis hominum. Nam, iuxta propriam eius doctrinam in Concilio Vaticano solemniter definitam eius mandatum est opus Christi « perenne reddere » [28]. Munus autem Christi erat, glorificare Patrem in terris. « Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam » (Jo. 17/4). Glorificare Deum est, re et veritate agnoscere et vita exprimere, « realisare », Deum esse principium et finem nostrae existentiae totiusque nostrae naturae. « Anima ... se offert Deo ..., sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatificationis » [29]. Cultus publicus Dei est, hanc internam « devotionem » significare actibus visibilibus et socialibus. Hoc fecit Jesus per totam suam vitam in oboedientia erga Patrem, maxime « factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (Phil.

---

28 Denz. n. 1821.

29 Thomas, *Summa* II-II q. 85 a. 2 c; 3 cG 120, 7°.

2/8). In hoc enim hominibus monstravit, « quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio » (Jo. 14/31). Dum moriendo animam suam emisit, manifestavit, Patrem sibi esse omnia. In cruce manifestavit internam suam devotionem Patri in integra sua vita humana.

Sic erit munus Ecclesiae ut societatis visibilis, clarificare Deum manifestando in integra vita familiae humanae perfectam devotionem Deo. Hoc fine intrinsece determinatur tota eius activitas visibilis, etiam iuridica.

Ius qua tale respicit relationes mutuas hominum; cultus respicit relationem hominis ad Deum. Haec relatio autem ad Deum est essentialiter socialis, et permanat etiam relationes mutuas humanas. Nova relatio ad Deum transmutat proinde intrinsece relationem iuridicam [30]. Atqui sacramenta sunt actus, quibus id quod iuridicum est totum imbuitur ab eo quod est cultus. Sacramenta, quae hucusque consideravimus ut receptionem iuridicam in societatem humanam vel in eius activitatem specificam, sunt participationes in dignitate eius cultus et in actibus cultus.

Sacramenta sunt actus cultus, actus cultus publici Dei. Hic aspectus sacramentorum in theologia scholastica fere tota neglecta fecit: habebantur signa, quibus Deus dat gratiam suam hominibus, non actus quibus Ecclesia honorat Deum. Ex quo tamen theologia lacensis mysteriorum (S. Mariae ad Lacum) sacramenta spectabat ut celebrationes liturgicas, apud theologos modernos iam

---

30 Cf. *Summa* I-II q. 99 a. 3.

in more est, loqui de sacramentis ut de actibus cultus. P. SCHILLEBEECKX demonstravit, hanc conceptionem sacramentorum ipso S. Thomae probabiliter non fuisse omnino alienam [31], et P. SEMMELROTH notavit, etiam in encyclicis *Satis Cognitum* Leonis XIII et *Mediator Dei* Pii XII celebrationem sacramentorum recenseri inter actus cultus publici [32]. « Sacramenta », inquit P. SCHILLEBEECKX, « essentialiter sunt *actus symbolici cultus societatis religiosae* » [33].

In parte sequenti clarebit hanc conceptionem sacramentorum plene concordare definitioni classicae signorum efficacium gratiae. Primum illa indoles cultualis paululum explicanda et error, qui irrepere posset, corrigendus est.

Quomodo sacramenta sunt actus cultus? Modo omnino generico dici potest: quia sunt publica professio et protestatio fidei, spei et caritatis. De hoc aspectu magni momenti statim erit tractandum. Haec tamen probatio nimis generica est. Magis concrete dici potest: *quia sunt realisatio in nobis sacrificii Christi,* quod est actus undequaque perfectus cultus divini. Hoc argumentum illud etiam commodum habet, quod se adiungit uni ex thesibus theologiae mysteriorum, quae firmiter demonstravit, sacramenta iuxta S. Scripturam et

---

[31] SCHILLEBEECKX o. c. p. 135 ss. Non autem dicit S. Thomam hunc aspectum cultus non habere elementum essentiale omnium sacramentorum (*Summa* III q. 63 a. 6) eumque sat firmiter urgere oppositionem inter sacramenta ut donum Dei hominibus datum, et sacrificium ut donum hominis Deo oblatum.

[32] O. SEMMELROTH, *Die Kirche als Ursakrament* (1953), p. 81 s.

[33] *o. c.* p. 138 (linea ab auctore subducta).

Traditionem esse participationes mortis et resurrectionis Christi.

Hoc autem in concreto aliquantulum explicandum est de singulis sacramentis. Hic distinguenda erunt sacramenta, quae, nostra sententia, consistunt in actu cultus, a sacramentis quae consistunt in consecratione cultus (etsi etiam consecratio, ut mox videbimus, est actus cultus divini). Sacramenta — actus sunt eucharistia et poenitentia, quinque reliqua sunt Sacramenta consecratoria.

Eucharistiam esse actum cultus, explicatione non indiget. Est ipsum sacrificium Christi ut sacrificium Ecclesiae [34]. Et Communio quoque est significatio participationis illius sacrificii, cum Christus vivere faciat in fideli ut Agnus sacrificatus. Ipsa nobis significat et dat vitam in statu victimae.

Quod poenitentiam attinet, proponi possunt, non sine debita haesitatione, sequentia. Et ipsa est realisatio in poenitente sacrificii Christi, sub determinato aspectu. Jesus in cruce portavit peccata mundi ante tribunal Patris, qui in Ipso condemnavit peccata, at condemnando etiam condonavit (condemnatio et condonatio, ut patet ex phaenomenologia ipsius iudicii humani, non sunt oppositae, sed affines). Ita in confessione poenitens, ut membrum Ecclesiae, portat peccata sua ante tribunal Eius, cuius condemnatio est exstinctio peccatorum [35]. Sacrificium crucis ergo realisa-

34 *Summa* III q. 63 n. 6.

35 H. U. von BALTHASAR, *Theologie der Geschichte,* in: *Münch. Theol. Zeitschr.* 1 (1950) H. 3 p. 36: «Das Sakrament der Busse ist die Einbeziehung des Glaubenden in ... die Haltung

tur in poenitente sub hoc respectu, quod est condemnatio exstinguens peccatum. Ecclesia, nomine Dei pronuntians iudicium, ponit actum, qui repraesentat sacrificium crucis, qui actus proinde est cultus divini.

Omnia reliqua sacramenta considerari possunt ut sacramenta consecratoria, ut sacramenta scilicet quae conferunt potestatem sacerdotalem, sive absolute permanentem (sacramenta cum charactere), sive relative permanentem (extrema unctio, matrimonium). Potestas sacerdotalis hic significare vult potestatem ponendi actus qui aliquo modo repraesentant sacrificium Christi.

Atqui, consecratio sacerdotalis est actus cultus divini [36]. Vocabulum ipsum *consecrare* id iam suggerit. Nam consecrare est facere aliquid sacrum, quod iuxta S. Thomam est significatio vocabuli *sacrificium* [37]. Omnis consecratio est analoga illo actui cultus divini per excellentiam, quod est sacrificium. Sacrificium significat seu externe realisat relationem totalem ad Deum, quia victima tota separatur ab hoc mundo a Deo alieno et transit in mundum Dei: est, in categoriis S. Joannis, visibilis « transitus ex hoc mundo ad Patrem » (Jo. 13/1). At etiam consecratio sacerdotalis est eximi ex mundo profano et appropriari Deo. « Ex

---

des Gekreuzigten, der vor dem Vater alle Sünde der Welt trägt und bekennt und in der Auferstehung des Fleisches die 'Absolution' erhält ».

M. SCHMAUS, *Reich Gottes und Busssakrament*, ibid. H. 1 p. 29 s.

36 Cf. *Summa* I-II q. 101 a. 1 ad 1.

37 *Summa* III q. 86 a. 3 ad 3: « Sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum ».

hominibus assumptus, constitutus in iis, quae sunt ad Deum » (Hebr. 5/1). Consecratio differt a sacrificio veri nominis, quia non ut sacrificium externe realisat totalitatem huius pertinentiae hominis ad Deum; participat naturam sacrificii, quia exprimit hanc pertinentiam. Inde sacrificium perfectum est illud, in quo ipsa Victima est Sacerdos. Nam sacrificium est summa realisatio consecrationis. Unde Augustinus de Christo dicit: « Ideo sacerdos, quia victima » [38]. S. Thomas quoque, agens de sanctitate sacerdotali Christi, quam plenam possidebat vi incarnationis, scribit: « Humana natura, cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita » [39]. Consecratio ad munus sacerdotale est igitur *per se* actus cultus, quia participat summum actum cultus publici divini, quod est sacrificium.

Restat nobis probare, quinque sacramenta dare potestatem sacerdotalem, ergo esse consecrationes. Omnia enim dant potestatem, ponendi actus publicos cultus divini. Baptismum dat potestatem participandi, ut membrum populi sancti, eucharistiam, quae est sacrificium Christi inter nos. Ordinatio sacerdotalis dat potestatem exsequendi hoc sacrificium. Confirmatio dat potestatem publice, ut membrum agnitum Ecclesiae, coram mundo fidem protestandi. Nonne Jesus est « testis fidelis » (Apoc. 1/5, 3/14), qui testificatus est sanguine suo (1 Jo. 5/6 s.)? Tria sacramenta cum charactere conferunt igitur potestatem « ad cultum Dei se-

---

38 AUGUSTINUS, *Confessiones* X 43, 89.
39 *Summa* III q. 23 a. 2 ad 3.

cundum ritum christianae vitae », « ad actus convenientes praesenti Ecclesiae » [40]; dant proinde participationem sacerdotis Christi: « character sacramentalis est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae » [41]. Cum encyclica *Mediator Dei* tandem haec doctrina S. Thomae recepta est in documentis ecclesiasticis [42].

Matrimonium et extrema unctio non conferunt characterem, attamen dant munus relative permanens, quamdiu scilicet perdurat vita coniugum vel morbus periculosus. Existit inde traditio theologica haud spernenda, quae his sacramentis tribuit effectum, characteri analogum, quem *Summa* pseudo-ALEXANDRI, S. THOMAS et schola CAIETANI vocant « ornatum » [43]. Non multum de hoc co-

---

40 *Summa* III q. 63 a. 1c ad 1; a. 4 ad 3; a. 6c ad 1; etc.

41 *Summa* III q. 63 a. 3c ad 2; ad 3; q. 69 a. 9 ad 1; etc.

42 PIUS XII, *Mediator Dei,* in: AAS 39 (1947) p. 555: « Baptismatis lavacro, generali titulo christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et 'charactere' qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque ideo ipsius Christi sacerdotium pro sua condicione participant ».

43 *Glossa ordinaria in Decretum Gratiani* (C. 32 q. 7, c. 28 *Casus*) loquitur de 'charactere matrimonii'; HUGUCCIO (apud F. GILLMANN, in: *Der Katholik* 81 (1910) p. 311, nota 3, p. 305, nota 1) et PRAEPOSITINUS (apud VAN DEN EYNDE, in: *Antonianum* 26 (1951) p. 240 nota 5) de 'signaculo' in extrema unctione. PSEUDO-ALEXANDER (*Summa* IV q. 5 a. 5) et THOMAS iunior (4 Dist. 1 q. 1 a. 4 sol. 1) de 'ornatu'. Item ANNIBAL DEGLI ANNIBALDI et HERVAEUS NATALIS (ap. M. GIERENS, *De causalitate sacramentorum ... textus* (1935) n. 58 et 62), et postea CA-

gitaverunt, et forsitan haec innui possunt. Extrema unctione graviter aegroto datur « consecratio », qua mortem et morbum eius praenuntium cum Christi sustineat in oboedientia et fiducia erga Patrem. Quod homo unctus se Deo tradit et in sorte sua conquiescit, non est mere actus propriae virtutis, at, ut ita dicam, actus « publicus », quem nimirum ponit vi unctionis ecclesiasticae, vi mandati Ecclesiae et Christi [44]. Extrema unctione aegrotus acquirit igitur determinatum « statum Ecclesiae » (« état d'Eglise » : MERSCH), scilicet statum visibilem morientis in Christo, et cum eo mandatum in seipso realisandi visibiliter in morbo ac in morte mortem Christi [45]. Forsitan ita etiam explicari posset, quomodo extrema unctio « praepa-

---

PREOLUS (ed. Paban-Pègues t. VI p. 19 s., p. 442 a), qui ipse iterum citat PETRUM DE PALUDE.

E contra *Supplementum* ad *Summam* THOMAE (q. 30 a. 3) reprobat doctrinam de 'consecratione' in extrema unctione.

Ex recentioribus de 'ornatu' disserunt: SANCHEZ, *De matrimonio* II disp. 5; J. H. OSWALD, *Die dogmatische Lehre von den hl. Sakramenten* I, ad 5, (1894) p. 102-4; II p. 357-9; p. 498-501; POHLE-GIERENS, *Dogmatik* III n. 610; E. DORONZO O. M. I., *De sacramentis in genere* (1946) p. 321-4; *De extrema unctione* I (1954) p. 548. Alii hanc doctrinam nonnisi obiter tangunt, ut SCHANZ, *Die Lehre von den Sakramenten* (1893) p. 748; CHR. PESCH, *Praelectiones dogmaticae*, t. VI, ed. 4, n. 154.

44 In *Supplemento* ad *Summam* S. THOMAE res et sacramentum huius sacramenti vocatur « quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio » (q. 30 a. 3 ad 1) et reicit opinionem aegrotum hoc sacramento deputari ad actum sacrum vel recipi determinatum statum in Ecclesia (ib. in corp. ad 1).

45 Quoddam initium huius sententiae apud L. ATZBERGER, in: SCHEEBEN, *Dogmatik*, t. IV, n. 648, et apud E. MERSCH, *Théologie du Corps Mystique* II (1944) p. 304-6.

rat ad introitum regni caelestis »[46], non ac si sacramentum *ex opere operato* statim deleret omnes reliquias peccati, at quia christiano dat potestatem ad consequendam extremam unionem cum Christo in huius morte, ideoque ad victoriam plenam de peccato eiusque sequelis reportandam.

Vel magis mirum forte videtur, matrimonium vocari « consecrationem ». Num matrimonium aliquid aliud est quam traditio mutua viri et mulieris ad prolem procreandam et educandam? Nihilominus traditio mutua eorum non est res mere privata, at actus in Ecclesia visibili, quo coniuges accipiunt proprium munus in illa Ecclesia. In Ecclesia coniugati constituunt proprium « gradum » et « ordinem », ut multi Patres dicunt[47], et quidem quia constituuntur in « conditione sacrificii »[48]. Neque mere metonymice hic accipiendum est vocabulum *sacrificium*: sic ut amor proximi christianorum est expressio eorum amoris Dei, pariter integra traditio viri et mulieris, in fidelitate infrangibili, in devotione inconditionata, in fiducia per omnem vitam, est expressio eorum fidelitatis, devotionis, fiduciae in Deum. Ut quondam et ipse Jesus celebravit sacrificium Patri offerendum, tradendo seipsum pro sua Ecclesia (Eph. 5/25) et pergit renovare hoc sacrificium dando seipsum Ecclesiae

---

46 THOMAS, *Expos. in Symb.* art. 12, ed. Vivès t. XXVII p. 225 a; J. KERN S. J., *De sacramento extremae unctionis* (1907) p. 82 ss.

47 S. TROMP, *Litterae enc. Pius XII Corporis Mystici* (1943) p. 76; Idem, *Corpus Christi quod est Ecclesia*, ad 2 (1946) p. 144; Y. CONGAR O. P., *Jalons pour une théologie du laïcat* (1953) p. 262 ss.

48 CONGAR *o. c.* p. 264.

suae [49]. In coniugibus proinde sacrificium crucis realisatur sub hoc respectu: vivere fidelitatem erga Deum in fidelitate erga hominem [50]. Ad hoc munus implendum sponsi recipiunt mandatum et publicam missionem. Num ergo absonum est, etiam hic loqui de quadam consecratione? [51].

Videtur igitur omnia sacramenta considerari posse ut actus cultus: Eucharistiam, quia sacrificium Christi facit nostrum sacrificium; reliqua sacramenta, quia singula suo quoque modo realisant determinatum aspectum sacrificii Christi in homine: poenitentia ut actualis portatio peccatorum, sacramenta consecratoria eo quod hominem consecrant ad munus cultus absolute vel relative permanens [52]. Cum reliqua sacramenta realisent sacrificium Christi in christiano nonnisi sub aspectu peculiari, non sunt sacrificia: nam sacrificium est actus cultus, qui externe realisat totalitatem consecrationis Deo factae.

---

49 Eucharistia ut nuptiae Christi et Ecclesiae: METHODIUS OLYMPIUS, *Symposion,* III 8, CB 27 p. 35 s.

50 Cf. THOMAS, 4 Dist. 26 q. 2 a. 1 ad 3: « Quamvis matrimonium non conformet passioni Christi quantum ad poenam, conformat tamen ei quantum ad caritatem per quam pro Ecclesia sibi in sponsam coniungenda passus est ». — *De artic. fidei et ecclesiae sacramentis* tract. 2.

51 PIUS XI, Enc. *Casti Connubii,* AAS 22 (1930) p. 555. Cf. M. J. SCHEEBEN, *Die Mysterien des Christentums,* § 85 n. 4 ss.

52 Nobis sacramenta ut consecrationem concipientibus animum addit S. THOMAS, qui sacramenta Veteris Legis eo distinguit a reliquis institutionibus antiqui testamenti, quod illa dabant quandam consecrationem: « Sacramenta proprie dicuntur illa quae adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei ». (I-II q. 102 a. 5; cf. q. 101 a. 4). Ea ratione erant « figurae futurae consecrationis » (q. 101 a. 4 ad 2).

Nobis post hunc longum digressum per campum latum sacramentorum iam ad primam quaestionem revertentibus, liquet aspectum iuridicum in sacramentis aliud non esse ac extremam visibilitatem sacramentorum ut actuum cultus. Aspectus iuridicus seu publicae visibilitatis et validitatis est illud elementum in actu cultus, quo hic constituitur actus publicus cultus divini.

Aliis verbis: actio iuridica Ecclesiae in sacramentis se habet ad actionem cultus Ecclesiae ut signum et ut instrumentum. In sacramentis Ecclesia iuridice agens est signum quo Ecclesia cultum agens ponit eius actus cultus publici. In sacramentis activitas iuridica est significans et instrumentalis respectu activitatis cultus Ecclesiae et Christi ut Magni Sacerdotis.

Etiam Christi ut Summi Sacerdotis. Hoc demum breviter est demonstrandum. In sphaera iuridica potuimus considerare Ecclesiam, in quantum est societatem hominum, ut principium fere connaturale activitatis: nam creatio iuris est activitas societati humanae propria. Statim autem ac loquimur de Ecclesia ut de societate cultus, haec conceptio fit impossibilis. Agere cultum non est possibile nisi dependenter a sacerdotio Christi. Ergo dicere Ecclesiam in sacramentis agere cultum, est dicere eam agere ut instrumentum Christi.

Huius probatio vix est necessaria. Christus est homo Deo absolute, nam substantialiter, consecratus. Ipse ergo in se possidet plenitudinem absolutam sacerdotii. Ipse sensu maxime pleno est

Summus Sacerdos, archiereus, ἀρχή omnis sacerdotii. Omnis potestas sacerdotalis, id est omnis potestas cultualis, originem ducit a Christo. « Christus est fons totius sacerdotii. Nam sacerdos legalis erat figura ipsius : sacerdos autem novae legis in persona ipsius operatur » [53]. Genus humanum lapsum aditum ad Patrem non habet nisi Ipso Mediatore. Potestas cultus quam homo recipit in sacramentis cum charactere, et iuxta supra dicta etiam in sacramentis cum ornatu, est participatio sacerdotii Christi. « Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae » [54]. Propterea firmiter affirmavimus, omnem consecrationem cultualem in nobis esse realisationem consecrationis Christi.

Actus autem absolute perfectus cultus divini est sacrificium Christi. « In qua voluntate (Patris) sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel » (Hebr. 10/10). « Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos » (Hebr. 10/14). Omnis actus cultus divini ponitur vi huius actus. Hac de causa omnis sacerdos Novi Testamenti agit « in persona Christi » et « vice ipsius » (cf. supra notam 6). Vel ut adhuc magis

---

53 THOMAS, *Summa* III q. 22 a. 4 c.

54 *Ib.* III q. 63 a. 3 c; cf. ad 2; a. 5.

acute idem dicatur: in omni sacramento operatur » virtus passionis Christi »[55]. Forsitan prodesset theologiae, si haec expressio praedilecta S. Thomae ad pristinum splendorem expoliretur: quaenam enim est vis passionis, vis igitur actionis?

Concludendo dicere possumus: in sacramentis habetur activitas iuridica Ecclesiae ut societatis humanae, qua recipiens constituitur membrum, vel muneri cuidam praeficitur, vel assumitur in quadam activitate publica huius societatis. Haec actio iuridica Ecclesiae autem est signum et instrumentum activitatis sacerdotalis Christi, qui per actionem iuridicam Ecclesiae recipientem facit participem potestatis suae sacerdotalis vel actus sui sacerdotalis. Cum baptismate Ecclesia aliquem facit iuridice membrum, ipse fit membrum huius gentis sacerdotalis, et Christus eum participem facit potestatis suae sacerdotalis. Propterea Ecclesia aliquem membrum legitimum facere potest tantum *baptismate,* id est ritu incorporationis, a Christo ipso instituto, et quo Christus ipse nunc operatur. « Institutio » illa proinde non potest mere considerari ut aliquid quod ante decem et novem saecula accidit, at ut aliquid quo semper, in celebratione omnis sacramenti, Christus actu operatur[56]. Ulterior explicatio huius actualitatis permanentis historicae Christi institutionis excedit limites huius elucubrationis.

---

[55] *Ib.* III q. 62 a. 5 et b; q. 64 a. 3; cf. q. 48 a. 6 ad 2; *Ver.* q. 27 a. 4 ad 14 etc.

[56] *Ib.* III q. 78 a. 5.



In hoc contextu praemonere debemus lectorem de errore qui forte irrepere posset. Si sacramenta concipiuntur ut actus cultus, homo in iis videtur aliquid Deo offerre. Ita SEMMELROTH concludit ex indole cultuali sacramentorum: « Exinde prima significatio sacramentorum clare dirigitur ab imo ad summum; sacramenta sunt expressiones etiam hominum » [57]. Eo etiam tendit inclinatio ceteroquin iustissima doctrinae modernae de sacramentis, qua in primo loco ponitur activitas recipientis. Attamen thesis, sacramenta scilicet primarie dirigi ab imo ad summum, non consonat conceptioni totius traditionis, quae sacramenta vidit ut media, quibus Deus, per Christum, per Ecclesiam — linea igitur descendente — hominem sanctificat. Thesis illa claudit etiam viam ad solvendum ultimum quod nobis manet problema, relationis scilicet inter sacramentum ut actum cultus et sacramentum ut signum efficax gratiae.

In omni speculatione de sacramentis hoc semper tenendum erit: motus descendit desuper, non ab homine ad Deum, sed a Deo ad hominem, attamen *in Christo Jesu* [58]. Etiam ut actus cultus sacramentum non est primarie actus recipientis, at Christi et Ecclesiae in recipiente. Etiam si firmiter affirmamus activitatem recipientis, tenere debemus,

---

[57] O. SEMMELROTH, *o. c.* p. 82. Vocabulum *etiam* demonstrat auctorem habuisse quosdam scrupulos; post primam sententiam quis exspectaret, sacramenta in primo loco esse expressiones hominis.

[58] SCHILLEBEECKX, *o. c.*, p. 519.

eam esse *receptionem* activam. Christus Sanctus et Ecclesia sancta descendunt ad hominem peccatorem, eumque assumunt in sacerdotio sancto. Quod communicant est motus in Deum. Quia Ecclesia in sacramentis significat recipienti fidem suam, spem, caritatem, ipse harum virtutum fit particeps. Et si recipiens est persona sui conscia, in eo ponit actum personalem illarum virtutum [59]. Hoc sensu igitur sacramenta haberi debent ut confessio fidei recipientis adulti, ut attestatio spei eius et caritatis. Sunt autem haec, quia Ecclesia cum sua fide, spe et caritate ad eum descendit, et quia ipse recipit hoc donum vitae Ecclesiae. Tantum firmiter tenendo, etiam in sacramento ut actu cultus primarie aliquid *dari* recipienti, intelligi potest, aspectum cultus sacramentorum se habere ad aspectum gratiae ut signum et instrumentum.

III. Actus cultus et gratia

Analysis nostra structurae sacramentorum incepit ab imo et ab extra. Ita primo invenimus aspectum iuridicum, deinde aspectum cultus, et nunc pervenimus ad intimam medullam sacramentorum, qua sunt signum efficax gratiae.

Gratia autem denique non est nisi communicatio Dei sui ipsius, qui communicando seipsum hominem recreat ac renovat. Et hic surgit problema, quod diu placide dormivit, hodie denuo animos incendit, a quo doctrina de charactere et de sacramento ut actu cultus magis theologis inte-

---

59 Vid. de hac re expositionem magistralem *o. c.* p. 557-663.

rest: quomodo aspectus cultus se habet ad gratiam in sacramentis?

Iuxta principium generale, sacramenta scilicet efficere quod significant, instrumentaliter et significando, actus magis externus, iuridicus et cultualis, debebit esse signum et instrumentum activitatis sanctificantis S. Spiritus. Quomodo autem id erit possibile? Nam ut actus cultus sacramenta sunt actiones Christi eiusque Ecclesiae ad Deum, ut causae gratiae a Deo proficiscuntur et tendunt ad hominem.

S. Thomas identidem affirmat, sacramenta Ecclesiae dirigi ad duas res, nempe ad cultum publicum divinum et ad sanctificationem hominum. « Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem christianae vitae, et etiam in remedium contra defectum peccati »[60]. At cum sacramentum sit unum quid, duo fines sacramenti debebunt habere unitatem intrinsecam.

De natura autem huius unitatis perpauca dicit. De ea fere exclusive tractat quaerendo, quaenam sit relatio inter characterem sacramentalem et gratiam. Notum est, quantum in hoc distant sententiae Thomistarum severorum ut Capreoli et Caietani. In tempore sat brevi activitatis theologicae S. Thomae eius opinio in hoc pluries mutata est. In suo *Commentario in Sententias* doctrina est

---

[60] *Summa* III q. 65 a. 1; cf. q. 60 a. 5; q. 62 a. 5; q. 63 a. 1; q. 63 a. 6. In hoc ultimo articulo autem opinatur, omnia quidem sacramenta referri ad gratiam, at « non omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, sicut patet de poenitentia ».

haec: sacramenta dant *characterem,* casu quo *ornatum,* quae sunt dispositiones ad gratiam, quibus gratia « exigitur ». Sacramenta ipsa igitur gratiam efficiunt non *effective,* tantum *dispositive*[61]. Similis doctrina invenitur in *De Veritate* (1256-'9), hic autem non tam *character,* quam *gratia sacramentalis* partes agit dispositionis. Adhuc autem sustinet: « sacramenta non perveniunt directe et immediate ad ipsam gratiam (gratum facientem)[62]. Ipsae *Quaestiones de Potentia* (1265-73) haud obscure ad illam doctrinam alludunt[63]. Cum vero in ultimis annis vitae scripsit tractatum de sacramentis in *Summa* (1272-'3), characterem quidem adhuc vocat *dispositionem ad gratiam*[64], non autem amplius verbum facit de actione mere dispositiva, non immediate effectiva sacramentorum in gratiam. Haec nunc absque restrictione proponuntur ut causae instrumentales sanctificationis[65]. Inopinatam porro legimus sententiam ubi agit de reviviscentia baptismatis indigne suscepti: character comparatur cum « forma », dum gratia dicitur effectus illius formae[66].

Etiam tempore novissimo invenimus sententias valde diversas de relatione inter characterem et gratiam. Patri ROGUET verum est hoc: « gratia datur per characterem qui eam praecedit, determi-

---

61 4 *Dist.* I q. 1 a. 4 sol. 1.

62 *De Verit.* q. 27 a. 7 c; cf. a. 4 ad 3; ad 9.

63 *De Potentia* q. 3 a. 4 ad 8: « sacramenta iustificare dicuntur instrumentaliter et dispositive ».

64 *Summa* III q. 68 a. 4 ad 3.

65 *Ib.* q. 62 a. 1 et 4; cf. I-II q. 112 a. 1 ad 2.

66 *Ib.* III q. 69 a. 10.

nat *et producit* »[67]. P. GROLLENBERG sententiam oppositam sustinet: provocans ad duos textus S. Thomae dicit: « Divina largitas seu liberalitas praestat subiecto characteris de possessione gratiae, nisi ipse id impediat; *in hac perfecta providentia Dei* S. Thomas vidit solam rationem, cur character dispositio ad gratiam vocari possit »[68].

Sententia P. GROLLENBERG videtur potius relapsus in occasionalismum sacramentis applicatum: ipsa dant characterem, et hac occasione Deus confert suam gratiam. Non adest nexus intrinsecus inter utrumque donum; coniunguntur tantum per viam indirectam providentiae. Num S. Thomas frustra decertavit cum voluntarismo? At sententia quoque P. ROGUET, saltem eius verba admittenda non videntur: quomodo intelligi potest, characterem « producere » gratiam? P. ROGUET se seduci sivit comparatione *formae-effectus*, qua S. Thomas semel usus est, at gratia omnino nequit dici « productum » characteris, qui ipse est potestas sacerdotalis. Talis potestas nil aliud *producit* nisi actionem sacerdotalem subiecti.

Error amborum, quos attuli loco multorum theologorum, videtur, quod scindunt characterem a gratia, et inde iterum agglutinare coguntur fragmenta modo artificiali. Eadem comparatio praemonere debuisset de tali scissione unitatis: num

---

67 A. ROGUET, *La théologie du Caractère et l'incorporation à l'Eglise*, in: *Maison-Dieu* 32 (1932) p. 86.

68 L. GROLLENBERG, *By Thomas' leer over het character sacramentalis*, in: *Studia Catholica* 19 (1943) p. 146. Textus qui hanc opinionem probare videntur sunt: 4 *Dist.* 4 q. 1 a. 1 ad 5 et *Summa* q. 63 a. 4 ad 1.

umquam forte *causa formalis* effectum habet, ab ipsa *forma* adaequate distinctum?

Meo iudicio unitas characteris et gratiae quaerenda est intra categorias proprias sacramenti: instrumentalitatis scilicet et significationis. Thesis nostra sonat: *sacramentum ut signum, quo Christus nos facit participes dignitatis suae sacerdotalis et actionis sacerdotalis, qua tale est signum et instrumentum quo* Deus nobis communicat S. suum Spiritum.

Nam

1° sacerdotium christianum et agere cultum christianum homini datur a Deo;

2° esse et agere sacerdotale christianum *per se* est signum vitae gratiae.

Proinde participatio sacerdotii a Christo data est instrumentum ad signum, quo Deus hominem sanctificat.

1. *Sacerdotium christianum et agere sacerdotale christianum homini datur a Deo.*

Re parum accurate considerata, consecratio sacerdotalis et agere cultum consistit in eo, quod societas aliquid, seipsam, Deo offert. Profundius spectata autem, est Deus qui seipsum dat societati humanae. Cultus est pars adversa humana et visibilis nummi, cuius pars aversa invisibilis ornata est imagine gratiae.

Haec est ipsa veritas fundamentalis evangelii. Ex seipso homo in statu lapso incapax est colere Deum ipsique offerre cultum acceptum. Ipse

Deus eum capacem facere debet eique, communicando seipsum, infundere actum cultus.

Haec iam erat lex sacerdotii Veteris Testamenti, ut dicit epistula ad Hebraeos: « Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron » (5/4; cf. Num. 16/5). Quod valebat non tantum de sacerdotibus leviticis, at de universo populo Iudaeorum in quantum erat populus Deum colens. Iudaei sciebant se esse populum congregatum Dei vocatione et auxilio, consecratum ad sanctum sacerdotium ex virtute foederis, ad quod eos eligerat (cf. Exod. 19/5 s.).

In iis vetus Israël erat presagium (cf. Is. 83/21). Epistula ad Hebraeos pergit: « Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te » (5/5). Christus est sacerdos in humana natura, at quia est Filius. Id est, quia Pater Filium suum aeternum genuit in familia Adami. Hic homo ut summus sacerdos ad Patrem accedere potest eique offerre sacrificium acceptum, quia hic homo plus est quam homo, nimirum Filius factus homo. Huic sacerdotio ortum dedit consilium Patris, qui misit Filium suum in mundum.

Aliis verbis: existentia huius Summi Sacerdotis est realisatio visibilis seu revelatio gratiae Patris, qui post alienationem peccati hominibus iterum concedit « accessum » ad seipsum (cf. Eph. 2/11 s., 18). Iterum Pater vult ab hominibus serviri et glorificari, et ad hoc sibi creat novum hunc Hominem, hunc Summum Sacerdotem. In evangelio S. Joannis haec veritas edicitur verbis illis arcanis: « Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de

coelo » (Jo. 3/13). Nemo hominum potest redire ad Deum, quam ille qui exivit a Deo et venit in hoc mundo, et cui hic seipsum communicat.

Haec ergo est lex sacerdotii christiani. Omne esse et agere sacerdotale non tantum erit attestatio devotionis a parte hominum, Ecclesiae, Christi, at profundius est revelatio visibilis voluntatis salvificae Patris, qui hominem ad se ingredi facit.

Aliae viae ad eandem conclusionem nos ducere possunt. Proficisci possumus a conceptu *populi Dei,* qui absque dubio erat antiquior significatio nominis Ekklèsia [69]. Ut populus vetus coactus erat vocatione divina, ita et prophetae descripserant populum messianicum ut potestate Dei convocatum ex omni terra (Js. 66/18 ss.). Et Iudaei, Medi, Parthi, et qui habitabant Libyam, Asiam, Graeci et Romani, qui die Pentecostes vel postea acceperunt evangelium, sciebant se esse Ekklèsian, kletous hagious, Deo sacratos, nam a Deo vocatos [70]. Vel cum verbis S. Petri: « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (1, 2/9). Ecclesia, haec societas visibilis publici cultus divini christiani, est societas a Deo ipso a familiae humanae dispersione congregata ac sibi ipsi consecrata et sanctificata [71]. Membrum fieri huius societatis est igitur signum vocationis divinae. Ipse namque Deus convocat homines ad illum actum cultus divini, qui est confessio unius fidei: « Deus,

---

69 L. Cereaux, *La théologie de l'Eglise suivant Saint Paul* (1942) p. 142 ss.

70 *o. c.* p. 96.

71 M. De Lubac S. J., *Catholicisme* 2 ed. (1941) p. 9 ss., 36 ss.

qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti »[72].

Etiam existentia et vita Ecclesiae ut societatis cultus divini christiani est igitur, pariter ac existentia et vita Summi Sacerdotis Christi, revelatio, id est realisatio visibilis consilii divini. Itaque receptio iuridica in Ecclesia eiusque activitate, quae est signum et instrumentum receptionis in sacerdotio Christi eiusque activitate sacerdotali, etiam erit signum et instrumentum voluntatis salvificae Dei erga hunc hominem, seu gratiae Dei. Nam

2. *Esse et agere sacerdotale christianum est* PER SE SIGNUM *vitae gratiae.*

Ad quid enim a Deo vocamur? Ad societatem cultus christiani. Cultus autem christianus, etsi vere visibilis, non est servitium « sub elementis infirmis et egenis mundi » (Gal. 4/3.9), non est servitium « in vetustate litterae » sed « in novitate spiritus » (Rom. 7/6).

Cultus sensu stricto est actus externus et socialis religionis. Actus autem externus est signum externum devotionis internae et sensus interni nostrae relationis ad Deum[73]. Propterea cultus christianus proprie non est primarie externa manifestatio virtutis moralis *religionis,* at ipsarum virtutum theologicarum, fidei, spei et caritatis. Nam solis his virtutibus vivimus veram nostram relationem ad Deum. Qua de causa S. Thomas, cum

---

72 *Missale Romanum,* Feria V infra Oct. Paschae, Collecta.
73 *Summa* II-II q. 8, a. 2.

verbis S. Augustini, dicere potest: « Deus colitur fide, spe et charitate »[74]. Thomas utique distinguit virtutem *religionis* a virtutibus theologalibus, quia *religio* ordinat actus nostros « circa ea quae sunt ad finem » neque immediate refertur ad relationem nostram cum ipso Deo[75]; nihilominus optime novit animam cultus religiosi sitam esse in virtutibus theologalibus: religio, quae in cultu manifestatur et exercetur, est fides, spes et caritas nostra[76]. Hae virtutes constituunt fontem internam *religionis* et cultus. Sunt autem virtutes infusae, quas Deus ipse in nobis operatur.

Cultus publicus divinus christianus in superficie significat voluntariam nostram tendentiam in Deum; haec autem voluntaria tendentia in Deum ipsa est revelatio gratiae Dei nobis datae.

Seu, ut ad idem alia via appropinquamus: cultus christianus est manifestatio externa illius sensus « qui fuit in Christo Jesu » (Phil. 2/5), oboedientiae scilicet erga Patrem. Oboedientia autem humana Jesu erat expressio et realisatio in natura humana illius divinae « oboedientiae » Filii aeterni erga Patrem, ut, evangelium S. Joannis secuti, Patres identidem affirmant. Si Jesus dicit, ex seipso nihil se facere posse, at tantum facere quae vidit et tantum dicere quae audit a Patre, id quidem immediate refertur ad actionem et locutionem humanam. At in hac humana dependentia Filius

---

74 *Ib.* a. 5 ad 1; *in Boeth. de Trin.* q. 3 a. 2; I-II q. 101 a. 1 obi. 3; AUGUSTINUS, Enchiridion, 3, 1: PL 40, 232.

75 *Summa* II-II q. 81 a. 5.

76 *Ib.* q. 82 a. 2 ad 1; *in Boeth. de Trin.* q. 1 a. 2; cf. SCHILLEBEECKX *o. c.*, p. 136 nota 140.

aeternus vivit divinum esse ex Patre ad Patrem. Hic homo potuit esse Summus Sacerdos, qui obtulit sacrificium acceptum, quia erat Filius Dei, seu quia Pater Filium suum in hac humanitate nasci fecit.

Cultus noster christianus sua vice exprimet externe, et nos esse filios Patris, quia induimus Christum. Ideo dicere possumus: « Abba, Pater » (Rom. 8/15; Gal. 4/5). Cultus hic supponit igitur, Christum, Filium hominem factum, formari in nobis (cf. Gal. 4/19). Haec autem formatio Christi in nobis non est aliud, nisi quod Pater etiam in nobis genuit Filium suum aeternum. Nam Filius non habet aliud *esse* quam generari a Patre. Ideo quoque non habemus accessum ad Patrem nisi in Spiritu Sancto (Eph. 2/18) et vera adoratio Patris fit in Spiritu (Jo. 4/24) (ut et Jesus sese obtulit Deo in Sancto Spiritu: Hebr. 9/14). Nam amor, quo Pater nasci facit Filium aeternum, primo hypostatice ex utero Virginis Mariae, deinde « accidentaliter » ex utero virginali Ecclesiae, est amor intertrinitarius Patris et Filii, seu ipsa persona Spiritus Sancti. Spiritus Sanctus, ut procedens a Patre, format in nobis Filium; idem Spiritus Sanctus, ut procedens a Filio, est motus noster ad Patrem » [77].

Hic motus « filialis » ad Patrem Filius homo factus externe manifestavit in suo Sacrificio. Hunc

---

[77] IGNATIUS ANTIOCH., ad Rom. 7/2 ed. Funk-Bihlmeier p. 100. Superfluum erit demonstrare, hoc non esse nisi duos modos exprimendi eandem realitatem: quod Filius in nobis formatur, est motus ad Patrem, quia Filius non est aliud nisi *relatio ad Patrem.*

motum filialem et nos externe manifestavimus, cum Christo et in eo, per cultum christianum. Cultus hic, quem Patri offerimus, in profundiori sua essentia donum est Patris nobis datum. Cultus christianus est externa manifestatio vitae gratiae, seu vitae S. Spiritus in nobis.

Vidimus, sacerdotium christianum et agere sacerdotale nobis dari a Deo. Nunc scimus, sacerdotium christianum significare vitam ex S. Spiritu. Participatio sacerdotii Christi, quae datur nobis in sacramentis, significat et efficit ergo *per se* sanctificationem; nam in sacramentis simul existunt significatio et operatio.

Quando v. gr. Ecclesia in baptismate aliquem iuridice membrum facit, in eo continetur quod Christus illum facit participem sui sacerdotii. Sed quod Christus aliquem participem facit sui sacerdotii, *per se* continet quod Pater et Filius illum participem faciunt Spiritus Sancti. Hoc donum gratiae per excellentiam significatur a sacramento ut consecratione, itaque *per se* ab eo efficitur. Nam ut signum Dei per Christum et Ecclesiam sacramentum est signum verax, in quo dolus non est. Quando igitur Ecclesia et Christus in nobis signum ponunt participationis huius societatis humanae et huius sacerdotii, sanctificamur hoc signo ut instrumento in manu Dei.

* * *

In hac tertia parte initium sumpsimus a quaestione de relatione inter characterem et gratiam. Ob rationes historicas sat evidentes theologia in-

clinatur ad scindendum characterem a gratia: doctrina enim characteris elaborata fuit ad explicandum sacramentum validum at infructuosum. Tunc vix iterum coniungi posse videntur. Nonne potius praesupponendum est, ea *per se* unita esse? Sicut in duabus comparationibus, quibus S. Thomas hic utitur, *forma* et *effectus formae,* vel *dispositio perfecta* et *informatio* vere concipi nequeunt una sine altera, ita fere character et gratia omnino separatim vere concipi nequeunt.

Utique, character potest esse sine gratia, et gratia potest esse sine charactere. At hoc proprie non est nisi *per accidens*: est status non naturalis, est *violentia.* Theologia sana non debet initium sumere ab eo quod est *per accidens.*

Quod character et gratia debent constituere unitatem, sequitur ex eorum essentia ut effectu sacramenti. Character baptismalis et gratia regenerationis ambo a baptismate efficiuntur. Una autem causa unum necessario effectum operatur, qui utique intrinsece potest esse compositus, at *simpliciter* est unus. Unitas autem gratiae et characteris brevi sic edici potest: character non est aliud quam externa manifestatio possessionis Spiritus in gradu cultus christiani (ut et aspectus iuridicus est externa manifestatio characteris in gradu societatis humanae qua talis). Character proprie sine gratia esse nequit, quia tunc non est omnino *verax,* dum veritas ipsa pertinet ad naturam intrinsecam omnis signi sacramentalis. At pariter vice versa: possessio Spiritus proprie esse nequit sine manifestatione externa in gradu cultus per characterem. Si tamen alterum sine altero exi-

stit, versatur in statu non naturali. Quia huius rei intellectus essentialis est in conceptu catholico sacramentorum et Ecclesiae, breviter explicari debet.

Character proprie sine gratia esse nequit. Quia tunc non est omnino *verax*. Character est potestas sacerdotalis christiana, eaque potestas sacerdotalis concessa a Christo et a Deo. Potestas sacerdotalis christiana autem est potestas participandi aliquo modo cultum christianum. Cultus christianus verum est, ut vidimus, expressio vitae gratiae, vitae per Spiritum Sanctum in Christo ad Patrem. Potestas active participandi cultum christianum, *per se* ergo secumfert vitam gratiae. Si haec vita gratiae deficit, non quidem exstinguitur potestas sacerdotalis, tamen, ut ita dicam, clauda ac debilis fit.

At, ita quis obiciet, sacramentum administratum ab indigno sacerdote, nequaquam mancum est. Revera tam assuefacti sumus maxime quando agitur de munere sacerdotali, minus ubi de baptismate sermo est — distinguere exercitium validum huius potestatis ab eius exercitio indigno, ut vix nobis conscium sit, exercitium indignum re vera mancum et claudum esse. Non hoc sensu, quod recipiens sacramentum damnum pateretur indignitate ministri, at hoc sensu, veritati huius sacramenti aliquid deesse.

Nam omne sacramentum imprimis est actus cultus Ecclesiae in recipiente, ut vidimus. Actus igitur, quo Ecclesia exprimit fidem suam, spem et caritatem. In quantum hoc actu cultus exprimitur cultus Ecclesiae ut societatis, sacramentum infallibiliter vera est. Nam in Ecclesia ut socie-

tate fidei, spes et caritas numquam deficere possunt. Itaque sacramentum ut actus cultus Ecclesiae indelebilem veritatem habet, independentem a dignitate ministri [78]. At est actus cultus Ecclesiae positus ab hoc ministro. Ministrum autem plus est quam merus officialis: est *instrumentum animatum,* seu aliquis qui libera voluntate sese offert ad dispositionem Ecclesiae. At ita libere sese offerre ad dispositionem Ecclesiae in vita eius cultuali *per se* significat sibi libere appropriare tendentiam cultus ipsius Ecclesiae. Minister sacramenti significat proinde propriam religionem divinam, insimul cum divina religione Ecclesiae, seu propriam fidem, spem et caritatem. Si ergo munus sacerdotale exsequitur sine caritate, forte etiam sine fide, hoc sacramentum ut actus cultus ministri mendax est.

Haec est ratio, cur sacramentum ordinis sacerdotalis *per se* non tantum confert potestatem sacerdotalem, at etiam illam gratiam, qua sit bonus et dignus pastor gregis Christi. Quantum dependet a Deo, a Christo, ab Ecclesia, ordinatio sacerdotalis non confert tantum sacerdotium *validum,* at etiam sacerdotium *dignum.* Haec dignitas

---

[78] cf. *Summa* II-II q. 83 a. 16 ad 3; 3 *Sent.* 25 q. 1 a. 2 ad 4. Augustino haec veritas sacramenti (quae proinde numquam deficere potest, quamdiu sacramentum manet sacramentum Ecclesiae — quodque igitur apud haereticos quoque manet) necessaria videtur ad eius validitatem. Ideo iuxta ipsum Ecclesia sanctorum sacramento vim tribuit. Quia in Ecclesia semper sancti habentur, qui vere credunt, sperant et amant, ideo sacramentum verum est, et valet ad sanctificandum. Cf. etiam K. RAHNER, *La doctrine d'Origène sur la pénitence,* in: Rech. Sc. Rel. 37 (1950) p. 446.

quoque significatur [79], quia signum, prout provenit a Deo et a Christo et ab Ecclesia, significat et confert sâcerdotium intactum et immaculatum [80].

Tantùm ob miram illam duplicitatem, qua possibile est ut homo christianus fieri vult, cor autem claudit caritati christianae et forte etiam ipsae fidei christianae, character existere potest sine vita gratiae. Est tamen status non naturalis, quia potestas sacerdotalis per se etiam secum fert potestatem, offerendi cultum Ecclesiae ut proprium cultum personalem.

Si character et gratia constituunt unitatem, sequitur non tantum characterem sine vita gratiae esse mancum, ut demonstravimus, at etiam vice versa *vitam gratiae sine charactere esse imperfectam et defectuosam.*

Hoc primo aspectu forte vel magis mirum videtur. Post Augustinum theologia identidem quaesivit, quid v. gr. baptisma facere potuit Cornelio eiusque domui, qui iam ab ipso Spiritu Sancto re-

---

79 Liturgia ceterum sacrorum ordinationum clarissime hic loquitur: ab antiquissimis temporibus multo magis sermo fit de sanctitate sacerdotali quam de potestate qua tali.

80 Probabiliter hoc sensu interpretanda sunt verba « *idonee* » et « *digne* » in textu *Summae*, quem invocat P. GROLLENBERG, ut innuit S. Thomas remittendo ad Jo 4/24: « Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea quae sunt divini cultus exsequenda. Et quia haec *idonee* non fiunt sine auxilio gratiae, quia ut dicitur ‘ eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet ’, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam *digne* impleant ea ad quae deputantur » (*Summa* III q. 63 a. 4 ad 1). Etsi verba non multum differunt ab iis antea adhibitis (4 *Dist.* 4 q. 1 a. 1 ad 5), matura theologia sacramentorum Summae novum iis tribuit sensum.

pleti erant [81]. Quis potest gratiam recipere et iustificari, antequam recepit baptismum. Quid tunc baptismum ei confert? Characterem utique et consortium iuridicum Ecclesiae. At ipsa eius vita gratiae num perficitur? Encyclica *Mystici Corporis* suggerit, consortium Ecclesiae dare maiorem certitudinem et securitatem salutis [82]. S. Thomas dicit: « plenior effectus gratiae ... consequitur » [83], vel aliquando etiam « consequitur ... perfectius » [84]. Ipse id intelligere videtur de augmento gratiae [85], et theologi hoc contenti esse videntur. Adhibet tamen etiam verba, quae suadent pleniorem significationem huius *plenius* et *perfectius*. Dum iustificatione extra-sacramentali (quae ceteroquin non fit sine *voto sacramenti*) homo tantum spiritualiter cum Christo unitur, recepto sacramento unitur « spiritualiter et corporaliter » [86]. Hac via forte ulterius procedere possumus.

Receptione actuali sacramenti homo « plenius » particeps fit gratiae, non tantum eo sensu quod gratia augetur, at quia essentialiter gratiam perfectius possidet. Recipit characterem et fit membrum Ecclesiae. Hoc autem non est additio externa gratiae, at interna eius perfectio. Gratiam nunc etiam « corporaliter » possidet. Primarie gra-

---

81 Augustinus, *De bapt. c. Don.* IV 23, PL 43, 174; *Quaest. in Heptat.* III 84, PL 34, 712 s.

82 Pius XII, *Mystici Corporis* n. 101, in: AAS 35 (1943) 243.

83 4 *cG* 72 7°; *Quodlib.* q. 4 a. 10; *Summa* III q. 69 a. 4 ad 2.

84 *Summa* III q. 69 a. 1 ad 2.

85 *Ib.* a. 4 ad 2; q. 90 a. 2 ad 2; *In Psalm.* 21, 3 f; *In Jo.* 11 lectio 6 f.

86 *Summa* III q. 86 a. 2; q. 69 a. 5 ad 1.

tia est spiritualis et personalis; est communicatio sui Dei, qui recreat hominem, eumque dirigit in fide, spe et caritate ad Deum. Hoc est donum spirituale et personale. At gratia est etiam visibilis et socialis. Nam ipsa est redemptio totius hominis, qui est anima et corpus, persona individua et membrum societatis. Gratia tunc tandem perfecte est gratia, si non manet tantum personalis et interna, at etiam externe se manifestam facit in societate.

Hoc S. Paulus suggerere videtur dicens: « Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem » (Rom. 10/10): ad perfectionem fidei non pertinet tantum interna oboedientia cordis, at etiam confessio externa et socialis.

Etiam S. Thomas hoc demonstrat ubi agit de virtute religionis. Oratio vocalis et sacrificium externum non tantum requiruntur ad devotionem internam excitandam et alendam, at etiam quia homo Deum servire debet totus, cum corde et cum corpore [87].

Nonne hanc conceptionem consequenter applicare possumus sacramentis? Hoc sensu scilicet, quod novus motus in Deum, qui nobis datur a Christo, externe seipsum manifestari debet in forma visibili cultus socialis. Et quidem tali forma,

---

[87] *Summa* II-II q. 83 a. 12; q. 84 a. 2; q. 85 a. 1; I-II q. 101 a. 1. Contra in II-II q. 81 a. 7 cultus externus tantum consideratur ut medium ad internam devotionem excitandam. Ubi q. 3 a. 2 ponit quaestionem de necessitate profitendi fidem, invenimus expositionem mere moralisticam; item *In Rom.* X lect. 2 (ed. Marietti p. 148 A). Vicissim iuxta *In Rom.* XIV lect. 3 (p. 202 Bv) externa confessio pertinet ad perfectionem ipsius fidei.

quae visibile reddit, Christum esse suam originem. Seu in forma participationis sacramentorum utpote quae sunt actus cultus Christi in Ecclesia sua. Quamdiu iustificatus sacramentorum particeps non fit, deest aliquid eius gratiae, eo ipso quod spiritualiter, non autem visibiliter coniunctus est Christo in huius ascensione ad Patrem [88].

Seu idem aliis verbis: gratia essentialiter ad id tendit, ut homines congreget in novo, visibili populo Dei, coram novo Sacrificio. Nam gratia intendit restaurare unitatem discissam hominum, et quidem modo plene humano, seu etiam visibiliter. Qui fide et caritate iustificatur et sanctificatur, quin recipiat sacramentum, gratiam adhuc possidet modo imperfecto, quia non est membrum Ecclesiae visibilis.

Homo non baptizatus vere in Deo credere potest, vere diligere quoque potest Deum et proximum. Nam gratia redemptionis ubique operatur. At fides eius, quamdiu eam non palam professus fuerit in baptismate, privata manet quadam perfectione. Et aliquid deest eius amori Dei et proximorum, quamdiu amor illa non externe se manifestare potuerit communione Sacrificii et mensae Domini.

Gratia, data extra sacramentum, clamat impletionem in sacramento et in communione cum

---

[88] Non baptizatus baptizato sanctior, Deo vicinior, immo Christo intimius adhaerens esse potest. Sanctitas non baptizati caret tamen 'dimensione', quae sanctitati est intrinseca, cultu Dei nempe in unione visibili cum Christo. Cf. K. Rahner S. J., *Personale und sakramentale Frömmigkeit*, in: *Schriften zur Theologie* II, p. 126 ss.

Ecclesia visibili. Forsitan hoc sensu explicandum nobis est illud « *votum sacramenti* » (et *Ecclesiae*), quod iuxta doctrinam concilii Tridentini ad omnem iustificationem requiritur [89]? Licebitne nobis hac via quaerere responsum antiquae quaestioni de natura gratiae sacramentalis? Gratia omnis sacramenti estne gratia sanctificans et virtutes theologales, at eo proprio modo quo hae dantur ab unoquoque sacramento, intrinsece modificatae per coniunctionem cum hoc determinato charactere vel per hunc determinatum modum participandi sacerdotium Christi?

Supra diximus: character non est aliud ac possessio Spiritus externe se manifestans in gradu cultus christiani. Nunc addere possumus: et haec externa manifestatio pertinet ad integritatem gratiae ipsius. Quamquam character et gratia de facto separata existere possunt, hic status est contra-naturalis. Ambo ex natura intrinseca sunt ad invicem relata. Nam character absque gratia caret plena sua veracitate, quae tamen pertinet ad essentiam eius ut signi dati a Deo et a Christo. Et gratia sine charactere privata manet plena sua humanitate, caret « incarnatione », quae tamen pertinet ad essentiam gratiae Verbi incarnati.

IV. Conclusio

Sacramentum, si spectatur ab extra et ab imo, imprimis est admissio iuridica in societatem visibilem et humanam Ecclesiae. Quia haec societas est societas cultus, haec admissio iuridica signifi-

---

[89] *Sessio* VII Prooemium, Denz. 893 a.

cat etiam participationem sacerdotii Christi. Propterea admissio iuridica fit per ritum, qui remittit ad sacrificium Christi, qui a Christo institutus est, quique modo symbolico significat, sacrificium Christi realisari in hoc homine. Participatio iterum potestatis sacerdotalis et actionis sacerdotalis Christi et ipsa significat aliquid sibi superius: S. Spiritum, qui ut amor Patris et Filii hominem reddit capacem, ut ad Patrem accedat in cultu religioso spiritus et veritatis.

Initium sanctificationis sacramentalis est a Patre, qui hominem ad se reducit. Sicut Ipse revelavit voluntatem salvandi familiam humanam, seu visibilem reddidit, procreando Summum Sacerdotem eumque ad sacrificium ducendo, ita illam voluntatem nunc manifestat et exsequitur in singulis personis, per eius agere sacerdotale. Et Summus Sacerdos suam voluntatem communicandi huic homini suum sacerdotium exsequitur mediante Ecclesia ut societate humana.

Elementum iuridicum in effectu sacramentorum est quod visibilis fit participatio sacerdotii Christi; et haec participatio sacerdotii Christi, visibilis facta, ipsa est manifestatio visibilis vitae gratiae in Spiritu Sancto. Gratia christiana duplicem vestem induit: vestem sacerdotii Christi, et vestem iuris canonici.

Haec est structura interna sacramenti: Ecclesia iuridica in eo operatur in virtute Summi Sacerdotis Christi, Christus in eo operatur in virtute Patris, cui etiam in hoc opere oboedit.

Hanc structuram *ecclesiasticam* sacramentorum vocare possumus.

* * *

Nam eodem modo et ipsa Ecclesia exstructa est. In ipsa quoque invenimus unitatem visibilitatis et interioritatis, humanitatis et divinitatis. Ipsa est societas vera, plene humana, ergo visibilis et iuridica. Est quoque societas interna in una vita ex uno Spiritu. In ipsa etiam haec extrema coniunguntur per virtutem sacerdotii.

Id quod in operatione sacramentorum notavimus ut operationem iuridicam Ecclesiae ut societatis humanae, ut operationem Christi Summi Sacerdotis, ut operationem S. Spiritus, id etiam exprimi potest in categoria Ecclesiae: admissio iuridica in societatem humanam Ecclesiae significat et operatur admissionem in Ecclesiam ut societatem cultus et participationem eius sacerdotii; admissio in Ecclesiam ut societatem cultus iterum significat et operatur admissionem in corpus pneumaticum. In singulis tribus gradibus Ecclesia operatur. Sicut unum idemque sacramentum insimul est actus iuridicus, actus cultus et donum gratiae, ita una eademque Ecclesia est societas iuridica, sacerdotalis et pneumatica. Corpus Christi a Spiritu Christi animatum est Ecclesia Romana Catholica, exstructa hierarchia ordinis et ordine iuridico. Consortium in gradu inferiori *per se* est signum efficax consortii in gradu superiori. Participatio pneumatica *per se* seipsam manifestat in visibili consortio iuridico. Qui resistit hierarchiae iuridicae, *per se* resistit caritati, nam ipse scindit

Corpus Christi [90]. Submissio eius legi est forma humilis amoris Spiritus.

Nam *per se* Ecclesia iuridica est Ecclesia pneumatica. In Ecclesia totaliter sumpta illi quod est iuridicum correspondet illud quod est sacerdotale, illo quod est sacerdotale iterum correspondet id quod est pneumaticum. Nam Ecclesia ut tota verax est, veracitate quam Christus ipse illi promisit. Visibilitas Ecclesiae universim sumptae est manifestatio verax realitatis spiritualis, sine mendacio et sine dolo. Signum, quod est existentia et vita Ecclesiae visibilis, fallere nequit. Hoc est donum, quod Ecclesia in dotem recipit a Sponso qui mortuus est et resurrexit.

Hoc donum autem insimul est officium singulis membris Ecclesiae demandatum: officium personale uniuscuiusque iuxta statum et munus, laici, sacerdotis vel episcopi.

Sanctificationem pneumaticam, ipsi, admisso in societatem Ecclesiae et in sacerdotium Christi, divinitus significatam, omnis christianus personaliter *veram* facere debet. Ipse enim participat naturam Ecclesiae in quantum ipsa est signum, cum membrum sit Ecclesiae visibilis. Etiam in ipsius persona hoc signum verificari debet, ut splendor signi sit clarus et purus.

Quia membrum individuum in Ecclesia huic officio deesse potest, *per accidens,* in casibus singulis, harmonia inter iuridicum, sacerdotale et

---

90 Thomas, *Contra errores Graecorum* (Opuscula, ed. Mandonnet vol. III p. 325): « contra unitatem corporis mystici peccant, romani pontificis potestatem plenariam abnegantes ».

pneumaticum amitti potest. In hac vita terrestri manifestatio externa semper secumfert possibilitatem fallacitatis [91].

Non semper id quod iuridicum est concomitatur id quod est sacerdotale. Quis potest iuridice haberi ut baptizatus aut ut sacerdos, dum de facto sacramentum fuit invalidum. Et e converso.

Praesertim dissonantia existere potest inter iuridicum-sacerdotale ab una parte, et pneumaticum ab altera parte. Quis potest participare sacerdotium Christi eiusque actum sacerdotalem, quin participet eius Spiritum. Vicissim quis potest esse extra Ecclesiam visibilem et extra sacerdotium Christi, interne tamen vivere in eius Spiritu. Utrumque autem rerum naturae contrarium est, et quaeret equilibrium, in quo forma externa concordat internitati, et internitas se manifestat formis visibilibus.

Peccator baptizatus in se habet signum perenne voluntatis Dei eum ad se reducendi. Hoc signum semper eum pellet ad veritatem vitae gratiae. Si pergit resistere huic impulsui gratiae, signum gratiae, quod in se habet, cum condemnabit. Sicut quondam forma Christi in condemnationem erat illis membris eius populi, qui pertinaciter eum reiiciebant.

Etiam extra limites visibiles Ecclesiae possunt vivere iusti et sancti : homines qui in Deo credunt, et diligunt Deum et proximum in sinceritate. Spiritus autem, quo se duci sinunt, eos impellit

---

[91] Cl. TRESMONTANT, *Essai sur la pensée hébraique* (1953) p. 71: « Le propre du signe est de permettre le mensonge ».

ad unitatem visibilem Ecclesiae eiusque sacramentorum. Nam fides et caritas non modo plene humano realisantur, nisi sese exprimant in confessione visibili baptismatis et in caritate unius Eucharistiae. Propterea omne quod faciunt fide veraci et amore sincero, modo occulto, immo saepe paradoxali, confert ad aedificationem Ecclesiae visibilis. Hac de causa nobis officium incumbit eos adiuvandi, ut conscii fiant status inaequalis, in quo fides et caritas eorum versantur. Quamquam confidimus inter christianos non catholicos et inter non baptizatos multos esse homines bonae voluntatis, quiescere nobis non licet quousque invenerint viam ad unum ovile. Nam homo Deum plene invenit tantum in Filio homine facto: Filium autem plene non inveniet nisi in visibilitate sacramentorum et Ecclesiae.

P. Smulders, S. J.

INTERPRETATIO can. 105*

ACTUS SUPERIORIS INDIGENTIS CONSENSU VEL CONSILIO

1. Obiectum controversiae. Plures canonistae tenent verba canonis 105,1 « (si consilium exigatur) satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat », statuere quod Superior qui has personas non audiat (omittit eas audire), invalide agit. Alii hoc negant et eadem verba aliter intelligunt, scilicet: « satis est ad valide agendum ut Superior eas audiat » significat et statuit, quod ad valide agendum non requiratur ut Superior etiam hoc consilium sequatur seu non contra votum agat. Ni fallor sensus verus canonis facile detegitur, si attendamus ad oppositionem ut medium interpretationis.

2. Oppositio optimum medium interpretationis. Canon 18 « leges ecclesiasticae interpretandae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » est norma valde generalis et ampla. Eam certo non recte applicant, qui nimis premunt singula verba aut aliquod comma canonis, in eo sistentes et non attendentes ad alia commata seu partes, cum quibus non raro huiusmodi pars ita cohaeret, ut ex earum relatione seu connexione sensum cuiuslibet partis ideo-

---

* Hic simul eduntur duae elucubrationes, eodem fere tempore ad redactionem missae.

que sensus totius canonis eruere absque dubio possimus. Huiusmodi connexiones dantur plures. Una earum est connexio *oppositionis*. Contingit ut in aliquo canone inveniatur oppositio duorum elementorum, duorum conceptuum, duorum casuum, duorum iuris statutorum, quae oppositio manifestat qua de re Legislator loquitur et loqui intendit et loquendo manifestat suam voluntatem legislativam.

Exempla huiusmodi oppositionum in Codice habentur plura. Habetur canon 77 § 1: « Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato sive rato et consummato ». In hoc canone Legislator statuit affinitatem sequi ex matrimonio valido. Addit tamen declarationem, in qua duae res habentur distinctae vi oppositionis. Hae res indicantur verbis « rato tantum » et « rato et consummato ». Sensus totius additionis declarativae manifestatur hac oppositione « rato tantum » — « rato et consummato », quae est oppositio: « non consummato — consummato ». Ex hoc interpres qui non est tantum doctus, sed etiam prudens, sagax et cautus, deducit sensum canonis esse: ex matrimonio valido, independenter a distinctione (oppositione) inter matrimonium *non consummatum* et matrimonium *consummatum*. Relatio seu connexio oppositionis manifestat id quod Legislator exprimere et statuere voluit. Verbum autem « ratum » hic invenitur ut *connotatum*. De eo non agitur in contextu. Insertum est ut habeatur stilus completus. Hoc verbum non premitur, nec est elementum legislativum in quantum excludit *non ratum*, et prop-

ter hoc e fundamento affinitatis non excludit matrimonium quod non est *inter duos baptizatos*[1].

Aliud exemplum est canon 1015 § 1: « Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatione completum est; ratum et consummatum si inter coniuges locum habuit actus ... (coniugalis) »[2]. De quo agitur in his verbis seu quid est obiectum voluntatis legislativae hoc canone manifestatae? Statuere quid sit matrimonium *ratum* et quid sit matrimonium *non ratum*? Minime. Id de quo proprie agit haec paragraphus manifestatur oppositione quae viget inter duas res, hic designatas nominibus: ratum — ratum et consummatum. Legislator hic statuit matrimonium versari posse *in duobus statibus*: non consummatum — consummatum. Hoc sane valet de quolibet matrimonio, etiam infidelium. Cum autem distinctio in iure canonico speciales et gravissimos effectus iuridicos habet quoties agatur de matrimonio inter duos baptizatos, cum tale matrimonium, si sit consummatum, sit absolute seu absque ulla exceptione indissolubile, e contra si non sit consummatum adhuc dissolvi potest dispensatione pontificia; et cum gratia dissolutionis saepe concedatur et ad tuto procedendum institutus est processus specialis, Legislator in canonibus praeliminaribus capitis de matrimonio claris verbis voluit statuere terminologiam qua distinctio expri-

---

[1] L. Bender: *Impedimentum affinitatis,* in *Ephem. Iur. Can.* 1948.

[2] Cetera quae in hoc canone dicuntur brevitatis causa comprehendimus verbo « coniugalis », cum ea nullum momentum habeant pro re de qua hic nunc loquimur.

mi solet in iure. Haec terminologiae constitutio et clara explicatio est materia principalis huius canonis. Legislator hic explicat quid in iure canonico et in Codice intelligitur matrimonium *consummatum* et proinde etiam matrimonium *non consummatum*. De verbo « ratum » non agitur nisi secundarie. Totus canon 1015 non intendit dare divisionem matrimonii relate ad baptismum coniugum aut dare terminologiam completam sub hoc aspectu. Secus canon deficeret graviter. Nam in § 1 sermo est de matrimonio rato, in § 3 de matrimonio inter duos infideles. Sed datur tertium, et hoc Legislator optime noscit et hoc tertium etiam in Codice non est ignotum (vide cc. 1070, 1120). Et hoc tertium omnino omittitur, scilicet matrimonium inter personam baptizatam et personam infidelem.

Ex hoc apparet quod, etiam abstractione facta a consideratione quod Legislator non semper tenet sensum alicuius verbi lege statutum, male egerunt illi interpretes, qui in opere interpretationis canonis 97 § 1 premerunt verbum « rato » tamquam verbum *cuius sensus est authentice statutus* in c. 1015 § 1. Haec paragraphus non inserta est ut statuatur sensus verbi « ratum », sed ut statuatur sensus verbi « consummatum » et verbi « non consummatum ». De hoc proprie agitur. Etsi sane in c. 1015 sensus quem verbum « ratum » in iure canonico communiter habet designatur et supponitur, hoc tamen non fit actu, quo sensus verbi *authentice statuitur,* et propterea non recte agit canonista qui docet Legislatorem in c. 1015 § 1 *authentice statuere* matrimonium ratum in Codice

semper et exclusive adhiberi pro matrimonio *inter duos baptizatos*. Qui hoc fecerunt, male interpretati sunt canonem 97, ut semper docuimus [3] et nunc insuper constat declaratione data a S. C. S. Officii [4], et etiam, quamvis modo indirecto pro iure latino sed indubitanter, *Motu proprio* « Crebrae allatae » [5].

3. Etiam canon 105, 1 in sua prima parte (ante verbum *quamvis*) manifestat aliquam oppositionem, quae summopere conducit ad eius rectam interpretationem. En verba : « si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium ... satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat ». Porro oppositio quae acute ponitur est haec : A) opponitur casus : si consensus exigatur — si consilium exigatur (duo casus distincti et ut sic oppositi); deinde B) habetur oppositio in iis quae de his casibus statuuntur : contra votum agens invalide agit — contra votum agens *valide agit*. Sic in lucem trahimus parallelismum, quem canon evidenter continet et manifestat. Dolendum tamen est quod Legislator, forsitan propter styli elegantiam in secunda parte oppositionis elegit verba alia, quae ansam praebere potuerunt et reapse ansam praebuerunt dubii. Non tamen agitur de dubio insolubili. Possumus modo facili, simplici et obvio duas partes sic

---

[3] Vide articulum citatum in nota 1, p. 56.

[4] Promulgata, die 16 Jan. 1957. A.A.S. 1957, p. 77.

[5] Ibid. can. 68 § 1 n. 1, in quo Legislator causam, quae pluribus ansam dedit dubitandi, tollit, adhibens aliam formulam: « ex matrimonio valido *etsi non consummato* ».

formulare, ut oppositio clarius eluceat. Et hoc fieri potest duobus modis seu duabus formulis:

I. { Si consensus exigatur ... contra votum agens agit invalide.
Si consilium exigatur ... contra votum agens agit valide.

II. { Si consensus exigatur ... ad valide agendum *non satis est* ut Superior audiat (votum), sed *tenetur* agere secundum votum.
Si consilium exigatur ... ad valide agendum *satis est* ut audiat, (votum), sed *non tenetur* agere secundum votum.

Parallelismus partium manifestat Legislatorem hic tantum agere de effectu iuridico actus Superioris, qui a voto *reapse* ad normam legis obtento deflectit. Haec est materia canonis. Ipse agit de valore actus Superioris qui secundum iuris praescriptum *votum obtinuit* (sive consensum sive consilium), et deinde contra illud agit. Legis statutum est: agens contra consensum invalide agit; agens contra consilium valide agit.

Concedendum est verba secundi commatis *in se solis* considerata carere claritate et certitudine. Premo verba: *in se solis,* hoc est: si ea legamus et interpretari conemur separata a primo commate. Sed hoc sana methodus interpretandi non permittit; neque canon 18 utpote qui dicit: « in textu et contextu considerata ». Verba huius secundi commatis revera nullatenus inveniuntur *in se seu separata.* Coniuncta sunt cum primo commate non tantum materialiter seu vi periodi prosequentis, sed etiam connexione speciali, connexione scilicet oppositionis. Si ad hanc connexionem attendamus, evanescit quaelibet obscuritas et incertitudo circa

sensum; possibilitas duplicis interpretationis demitur. Nam circa primum comma non viget eadem obscuritas et incertitudo. Verba huius commatis non admittunt duplicem interpretationem. Primum comma agit expressis et claris verbis de *solo* casu quo votum est petitum et obtentum: « contra votum agens ». Hoc fieri nequit nisi votum sit revera datum. Merito tunc concluditur etiam alterum comma agere de solo casu quo votum sit petitum et obtentum. Et tunc sensus verborum « satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat » non amplius est ambiguus. Tunc apparet verba habere sensum: « Satis est ut audiat seu non requiritur ut etiam agat secundum hoc votum ». Hoc non est satis, quoties *consensus* requiratur.

Sensus secundi commatis igitur non est: « ad validitatem requiritur ut audiat », sed: « ad validitatem non requiritur ut agat secundum consilium ».

4. Canon 105, 1 igitur statuit effectum iuridicum circa validitatem actus bene determinati, scilicet actum quem Superior ponit postquam reapse obtinuit votum (sive consensum sive consilium) iure praescriptum. De aliis actibus, notatim de actu Superioris qui omittit petere votum sive consensum sive consilium, canon 105 *non agit.*

5. Confirmatio. Ultima pars huius numeri 1 (incipiens verbo: *quamvis*), praebet confirmationem huius nostrae interpretationis. Legimus: quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum accedendi, multum tamen ... concordibus suffragiis deferat nec ab iisdem ... discedat

nisi ». Argumentum peremptorium in favorem nostrae sententiae modo datae haec verba non praebent. Sed praebent confirmationem sententiae, quam alio argumento modo probavimus. Etenim, etiam haec verba demonstrant Legislatorem tractare casum in quo *habetur votum,* et non casum in quo *non habetur votum,* quia Superior contra ius illud petere neglexit. Textus citatus proprie congruit cum mente personae quae illum solum casum ante oculos habet et de eo legem condit.

Alia confirmatio gravissimi valoris est assertio quam Michiels cum assensu depromit a Boudinhon et quae continet iudicium, cuius veritas ex historia huius nomae iuridicae apparet: « candide tamen fatemur quod admissio invaliditatis omnium actuum a Superiore positorum sine exquisitione voti deliberativi vel consultivi consiliariorum iure simpliciter, nulla addita determinatione requisita, secumtraheret gravissima consectaria practica, quae revera subverterent disciplinam et nimis anxietatibus locum darent, tum apud Superiores tum apud subditos »[6].

Michiels haec scribit postquam dixit sua sententia canonis sensum verum esse illum, quo statuitur invaliditas actus Superioris omittentis petere consilium iure praescriptum. Circa hoc tamen candide fatemur nos non intelligere quomodo iurisperitus admittere possit aliquem canonem ita esse interpretandum ut statuat ius *quo subvertitur disciplina canonica.* Mihi videtur quod sapientia et prudentia interpretem constringunt ut renuat admittere huiusmodi sensum, si habeatur

6 G. Michiels, *De personis* [2], pp. 520-521.

alius; et sic evitet admittere Legislatorem verbis suis dedisse eum sensum, quo canon subvertit disciplinam canonicam [7].

Mihi videtur quod etiam haec ratio, a Michiels aliisque admissa, nos movet ad admittendum Legislatorem sapienter voluisse tollere haec gravissima consectaria practica, statuendo illud ius quod congruit cum sententia benigniore, iam sub veteri a multis propugnata et a Superioribus aliisque in praxim deducta.

6. Ratio omissionis. Quaestio quare Legislator non agat de effectu iuridico omissionis qua Superior prorsus omittit petere consensum vel consilium iure praescriptum, est quaestio cuius responsio satisfaciet canonistarum sanae curiositati seu desiderio sciendi. Ipsam dare non directe pertinet ad interpretis officium. Interpreti huius canonis sufficit statuere qua de re canon agat et qua de re consequenter non agat, et deinde explicare ius quod canone continetur.

Ratio ob quam canon 105 n. 1. de aliis actibus taceat, potest esse oblivio codificatoris; potest etiam esse quia Legislator explicite noluit circa hos actus statuere regulam *generalem* pro omnibus actibus, sed rem relinquere canonibus agentibus de diversis actibus in specie. Non quoad omnia utiliter datur norma valde generalis, qua uniformiter ius statuitur pro omnibus casibus.

8. Ius vigens e c. 105 n. 1. eruendum, per partes sic refertur:

---

[7] Verba Boudinhon fusius referuntur in p. 513 et manifestant quae sint hae difficultates practicae earumque gravitas, in iure veteri iam notae.

I. Superior qui quoties exigatur *consensus* contra votum agit, invalide agit.

II. Superior qui quoties exigatur *consilium* per verba e. g. de consilio consultorum vel audito Capitulo, parocho, etc., valide agit, et etiam licite in hoc sensu quod lex ecclesiastica ei non imponit ut tale votum (consultativum) sequatur. C. 105 n. 1 praebet tantum aliquam normam directivam pro aliquibus casibus (in secunda parte numeri 1). Clarum tamen est quod sicut omnes, ita et superior potest peccare male utendo libertate iure concessa. Sed tunc non peccat quia agere contra consilium est illicitum, sed quia agit contra prudentiam vel mala intentione, etc.

III. Hae regulae generales non excludunt ut in aliquo alio canone circa determinatum actum aliquid aliud caveatur. Id quod in paucis canonibus explicite dicitur « nisi aliud iure caveatur » (cfr. c. 101; 199 § 1), implicite subintelligitur in qualibet norma generali. Duas normas statuens, canon 105 non intendit impedire ne pro aliquo casu particulari iure communi « tertium » tamquam ius statuatur, quod medium tenet inter has duas normas. Inter obligationem agendi secundum votum ad validitatem, et libertatem agendi contra votum etiam ad liceitatem quod attinet, habetur hoc tertium: obligatio agendi secundum votum sed *ad solam liceitatem* actus.

Absonum esset dicere Legislatorem non posse in aliquo casu speciali hoc tertium statuere. Imo datur aliquis canon in quo reapse hoc facit. In canone 1653 explicite statuitur: « Ordinarii locorum possunt ... sed *ut licite agant,* debent audire

Capitulum cathedrale vel Consilium administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando ... etc. ». Hic igitur, per modum exceptionis ad normam generalem c. 105 contentam, requiritur *consensus ad solam liceitatem* actus. Vi huius Superior ut licite agat debet non tantum consensum petere et obtinere, sed etiam *secundum votum agere*. Si tamen contra votum agat, non invalide agit, sed tantum illicite.

IV. De validitate aut liceitate actus Superioris qui, in casibus in quibus consensus vel consilium exigitur, consensum vel consilium petere prorsus omittit, hic canon 105 nihil decernit. Hoc non pertinet ad materiam in qua hic canon ius condit. Quapropter responsio ad quaestionem de validitate aut liceitate actus positi cum huiusmodi omissione eruenda est ex aliis fontibus, sive ex aliis canonibus, sive ex doctrina canonica et morali. Canon 105 enim non statuit obligationem petendi consensum vel consilium, sed decernit « quid iuris » *si* alia lex sive generalis sive particularis consensum vel consilium exigat. Errat igitur Michiels[8] scribens: « actus sine petitione consensus vel consilii a Superiore positus dicendus est vi canonis 105 n. 1 illicitus » (addit hoc esse evidens). Non est solummodo non evidens, sed est erroneum. Superior qui omittit petere consensum vel consilium iure praescriptum illicite agit; certo. Sed *non vi canonis 105*, sed vi alius legis. Vi illius legis scilicet, in qua petitio consensus vel consilii praescribitur.

L. Bender, O. P.

---

[8] *De personis*², p. 502.

DE MENTE LEGISLATORIS QUOAD INTERPRETATIONEM CAN. 105 CODICIS IURIS CANONICI

Notum est quoad interpretationem can. 105 CIC haberi controversiam inter auctores. Agitur in can. 105 de iure, quod certis personis convenit, habendi influxum in negotia iuridica Superioris ecclesiastici [1]. Superior ecclesiasticus ad valide agendum indigere potest consensu vel consilio aliorum. « Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum... satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat... ». Controversia praesertim habetur quoad momentum iuridicum, quod habet secundum hunc can. 105 petitio consilii.

---

[1] Can. 105. — Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr.: de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho, etc.; satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat;

2° Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae legitime convocentur, salvo praescripto can. 162, § 4, et mentem suam manifestent; Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum;

3° Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire.

I. Sunt auctores, qui petitionem consilii habent conditionem tantum liceitatis iuridicae negotii iuridici a Superiore peragendi, non autem validitatis iuridicae huius negotii. Tamquam argumenta principalia, quae pro hac sententia afferuntur, referuntur principium de legibus irritantibus et inhabilitantibus necnon consectaria gravissima, si petitio consilii est conditio valoris negotii iuridici [2]. Dicitur:

a) « Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur ». (can. 11) Iamvero in can. 105 nec expresse nec aequivalenter dicitur petitionem consilii requiri ad validitatem actus. Ex eo enim, quod « satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat « non sequitur, quod haec auditio etiam r e q u i r i t u r ad valide agendum. Ergo non constat petitionem consilii habere rationem conditionis valoris negotii iuridici. Hinc conditionem referri ad valorem negotii non potest (ad normam can. 11) affirmari.

b) « Nonne durior, nonne incauta dicenda foret lex, qua in sexcentis quotidianis negotiis ligarentur Superiores poena nullitatis eorum quae acturi sunt, cum tantorum damnorum periculo? Nonne etiam a iuris solita moderatione exsularet lex qua semper, in frequentioribus negotiis, sub

---

[2] Cf. praesertim A. Boudinhon, Circa can. 105 N. 1, Ius Pontificium, Romae 1928, 29 ss. Summarium omnium rationum, quae pro hac sententia afferuntur, habetur apud G. Michiels, O. F. Min. Cap., Principia generalia de personis in Ecclesia, Parisiis, 1955[2], 507 ss. Hic etiam referuntur argumenta alterius sententiae.

poena nullitatis requireretur consilium, quod nunquam necessario sequendum est?»[3]. Praesertim, saltem in aliquibus regionibus, nominatio canonicorum et vicariorum cooperatorum ab Episcopis fit, quin audiatur capitulum (quod audiendum esset ad normam can. 403) respective parochus (qui audiendus esset ad normam can. 476 § 3). Nemo autem auderet habere invalidas omnes tales nominationes. Ergo ad evitanda haec mala ipsa petio consilii conditio valoris haberi nequit.

II. Altera sententia petitionem consilii habet conditionem valoris negotii iuridici a Superiore peragendi[4]. Tamquam argumentum principale refertur ipse textus canonis. Dicitur: Verba can. 105: «Satis est ad valide agendum» mere in se sumpta utique non significant: «Satis est et requiritur ad valide agendum». Attamen talis modus interpretationis mere formalis et externe verbalis non satisfacit textui canonis. Nam «certum est, quod is committit in legem, qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem»[5]. Iamvero textus canonis constituit dispositionem iuri-

---

[3] Boudinhon, a. c. 32.

[4] Hanc sententiam B. Ojetti S. J., Commentarium in Codicem Iuris canonici, de personis, Romae 1928, 189 habet communem: «Sed an haec obligatio audiendi capitulum vere nunc post Codicem subsistit adhuc? Omnes, quod sciam, hucusque quaestioni propositae affirmativam responsionem dant, non excluso Pruemmer, qui ... evidenter non recedit a sententia communi et simul cum omnibus aliis admittit, suffragium eorum, qui consilium dant, et esse de iuridica necessitate exquirendum, et non importare obligationem in superiore illud sequendi... Hanc autem antiquam et vetustissimam sententiam fere omnes sequuntur, etiam promulgato Codice, paucis contradicentibus ...».

[5] Regula iuris 88 in VI. (Friedberg II, 1124).

dicam, quae sensum iuridicum clarum et univocum habet. In textu enim strictus parallelismus habetur inter obligationem habendi consensum et obligationem petendi consilium; sicuti imposito consensu ad valide agendum negotium deficiente consensu est invalidum, ita imposito consilio ad valide agendum negotium deficiente consilio est invalidum. Differentia inter negotia peragenda cum consensu et cum consilio habetur tantum in eo, quod imposito consilio satis est ad valide agendum, ut Superior illas personas audiat, quin stricte teneatur sequi consilium habitum [6]. Revera, si iuridice e duobus elementis, quae pro validitate determinati negotii iuridici in quaestionem venire possunt, unum dicitur sufficere, affirmatur simul eius necessitas; e. g. si aliquis agendo de potestate ordinis et iurisdictionis affirmat ad missam celebrandam sufficere potestatem ordinis, etiam affirmat necessitatem potestatis ordinis ad missam celebrandam. Proinde verba: « Satis est ad valide agendum » sensu obvio, claro et univoco statuunt minimum faciendum ad valide agendum.

III. Iam multis abhinc annis ab auctoribus nova elementa allata non sunt, quae solutionem praeberent huius quaestionis disputatae. Ea de causa tamquam practica conclusio interdum statuebatur haec: « Invaliditas actus in casu videtur vere dubia dubio iuris, ideoque in praxi nulla, ita ut, ad praxim quod attinet et usquedum S. Sedes dubium authentice solvit, tuto retineri posse vi-

---

6 Ipsi auctores, qui de cetero hanc sententiam plane non admittunt, interdum hoc argumentum tamquam validum admittunt. Cf. e. g. Michiels o. c. 518 ss.

deatur cum Boudinhon: ‘ obligationem qua tenetur Superior certas audiendi personas ad petendum consilium, non semper secumferre poenam nullitatis, vi can. 105 n. 1, sed tunc tantum adesse invaliditatem quum, certis in casibus, id expressis vel aequivalentibus verbis edixerit legislator ’ »[7].

Et additur quoad hanc quaestionem eo magis haberi dubium iuris, quo Pontificia Commissio ad Codicem Interpretandum, cui quaestio iam multis abhinc annis proposita fuit, non audebat dare responsum propter gravitatem quaestionis et consectariorum[8].

IV. Potestne adhuc dici quoad hanc quaestionem haberi dubium iuris, ita ut petitio consilii impositi non possit haberi — ad normam can. 105 CIC — conditio valoris negotii iuridici a Superiore peragendi? Ratio, cur haec quaestio nunc poni possit et debeat, habetur in can. 35 iuris « de personis » Ecclesiae Orientalis nuper promulgati. Hic canon correspondet canoni 105 CIC. Iamvero in hoc canone 35 iuris Orientalis verba ita sunt electa, ut exclusum sit omne effugium etiam mere formale

---

7 Ibidem 521.

8 Cf. tamen A. Schönegger S. J., qui de cetero non admittit simpliciter sententiam consilium semper requiri ad valide agendum: « Ex silentio Commissionis etsi diuturno, si quis vellet concludere, quaestionem de genuino sensu canonis esse dubiam et proinde vi c. 15 legem non urgere, non sufficienti videtur niti fundamento; nam variae esse possunt causae silentii v. g. quia responsum dare non habeatur opportunum vel fortasse superfluum, cum sensus canonis non indigeat demonstratione. « Canonis 105, 1° interpretatio et interpretes, Periodica de re morali canonica liturgica 1942, 138.

et externe verbale habendi petitionem consilii impositi conditionem solius liceitatis iuridicae.

Textus huius canonis est hic: « § 1. Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum: 1° Si consensus exigatur, Superior nisi obtinuerit earundem consensum invalide agit; 2° Si exigatur consilium tantum, per verba: cum consilio consultorum, vel auditis consultoribus, aliave similia, non requiritur ad valide agendum nisi ut Superior illas personas audiat; ... » [9]. Proinde in hoc canone verbis can. 105 CIC « satis est ad valide agendum » substituuntur verba « non requiritur ad valide agendum nisi ut Superior illas personas audiat ». Non potest esse dubium legislatorem de consulto peregisse talem substitutionem verborum. De consulto igitur legislator cavit, ne controversia quoad interpretationem can. 105 CIC oriri possit quoad can. 35 iuris Orientalis.

V. Habetne talis legislatoris procedendi modus momentum etiam quoad interpretationem can. 105 CIC? Sine omni dubio can. 35 iur. Or. non constituit interpretationem authenticam can. 105 CIC. Inde autem non sequitur can. 35 iur. Or. omni momento carere pro interpretatione can. 105 CIC.

Ad normam enim can. 18 CIC inter media subsidiaria interpretationis legis ecclesiasticae habenda est etiam mens legislatoris. « Talis mens seu voluntas cognosci potest: 1) cum legislator ipse mentem suam expresse et publice notificat: in pluri-

---

[9] Acta Apostolicae Sedis, 1957, 446.

bus responsionibus SS. Congregationum post formulam stricte dispositivam additur: ‘ et ad mentem ’ ac dein haec mens explanatur. Tali menti reduci possunt instructiones, regulae, normae et decreta quibus legis applicatio et legislatoris voluntas clarius determinantur ... » [10].

a) Iamvero voluntas legislatoris obiective manifestata in can. 35 iur. Or. clarius determinat ea, quae in can. 105 CIC minus clare (secundum auctores, qui consilium impositum habent tantum ad liceitatem iuridicam) determinata sunt. Verum quidem est de se non excludi normas de eodem obiecto differentes constitui in iure Latino et Orientali. Attamen nemo hoc admitteret in h a c quaestione, quae versatur circa elementum quam maxime characteristicum exercitii regiminis in Ecclesia. Sub hoc respectu non tantum non apparet ulla ratio, quae differentiam quoad modum exercendi regimen suaderet, sed positive apparet talem rationem non haberi, quatenus omnino inconveniens esset restringere magis activitatem Superioris Ecclesiae Orientalis quam activitatem Superioris Ecclesiae Latinae. Cooperatio enim aliorum in peragendis negotiis iuridicis Superioris statuitur in ordine ad prudens, consideratum et circumspectum exercitium regiminis; haec ratio legis valida est eodem modo in Ecclesia Latina et Orientali [11]. Legislator igitur supponit audiendum

---

10 H. J. Cicognani, D. Staffa, Commentarium ad librum primum Codicis Iuris Canonici, Vol. I. Romae 1939², 296.

11 Ojetti, o. c. 180 s., 186 ss. exponendo rationes, propter quas legislator obligat Superiorem ad consensum aut ad consilium habendum in peragendis negotiis iuridicis, refert ad sententiam

consilium contribuere ad modum agendi magis consideratum et circumspectum; vix enim Superior agit nec prudenter agere posset contra rationes obiectivas et fundatas, quae forte a consultoribus proponantur. Haec mens legislatoris de cetero clare apparet ex aliis dispositionibus can. 105 CIC et can. 35 iur. Or., scilicet ex monitione, ne Superior facile discedat a voto concordi consultorum; ex necessitate habendi convocationem et deliberationem collegialem, si plures personae audiendae sunt; ex officio consultorum aperiendi sententiam propriam fide ac sinceritate. Altera ex parte ipsa experientia quotidiana legislatorem docuit consilium impositum ad liceitatem iuridicam tantum negotiorum facile negligi cum damno pro bono communi Ecclesiae.

Consequenter, si vere in can. 105 CIC non satis clare dicatur consilium necessario audiendum esse ad valide agendum, talis defectus claritatis aufertur manifestatione obiectiva mentis legislatoris in can. 35 iur. Orientalis, ita ut circa normam can. 105 CIC non iam habeatur dubium fundatum.

b) Notamus tamen nos non dicere omnia dubia, quae in CIC habentur, amplius non haberi, si in iure Orientali solutio praebeatur. Si textus CIC de se obvie intelligi potest duplici sensu utro-

---

S. Roberti Bellarmini, secundum quam illa est forma regiminis optima, quae qualitates trium formarum regiminis — monarchiae, aristocratiae, democratiae — quam maxime in se unit. Hinc ad evitanda mala, quorum periculum regimini monarchico est proprium, Ecclesia semper multum insistebat, ne praelati procederent freti nimis proprio iudicio, sed potius adiuti consilio aliorum, qui competentes essent in variis quaestionibus.

que obiective fundato, certo certius solutio dubii in iure Orientali non constituit solutionem dubii pro CIC. Quoad can. 105 autem non agitur de dubio in textu obiective fundato, sed potius de dubio positive causato ob rationes legi extrinsecas. Ita ob rationes legi extrinsecas sententia etiam post CIC communis infirmata fuit ab aliquibus auctoribus; immo hi auctores, interdum saltem, plane admittunt textum CIC de se intelligi debere de conditione validitatis. Hoc statu quaestionis supposito quoad h o c dubium manifestatio obiectiva mentis legislatoris habet rationem refutationis argumentorum legi extrinsecorum, quae proposita sunt ad infirmandam sententiam, quae congruenter ad textum can. 105 affirmabat conditionem validitatis iuridicae. Formaliter ideoque verum manet mentem legislatoris pro iure Orientali non constituere mentem legislatoris pro CIC; in h a c quaestione autem mens legislatoris manifestata in can. 35 iur. Or. materialiter est mens legislatoris etiam quoad can. 105 CIC.

Hinc alterum argumentum auctorum, qui consilium audiendum conditionem valoris esse negabant — quod scilicet consectaria essent gravissima, quae prudens legislator admittere non posset — hoc argumentum per can. 35 iur. Or. omnem vim, si illam unquam habuit, amisit. Nam prudens legislator, cui de cetero hoc argumentum ignotum non fuit, revera normam statuit consilium necessario esse audiendum ad valide agendum. Instantiam horum auctorum legislator igitur tamquam fundatam non recognovit; si instantia fundata esset, talis esset etiam pro Ecclesia Orien-

tali; tamen ipse legislator urget obligationem petendi consilium ad valide agendum in can. 35 iur. Or. Quod facile explicatur momento, quod legislator huic normae attribuit ad bonum commune Ecclesiae habendum [12].

Quae cum ita sint, non apparet ulla ratio, qua fundari possit dubium, quod circa consilium petendum ad normam can. 105 CIC affirmabatur ab aliquibus auctoribus.

VI. Aliqua tamen restrictio forte facienda est ad mentem legislatoris quoad applicationem principii generalis can. 105 CIC de consilio audiendo ad valide agendum. Nam in can. 517 iur. Or. dicitur: « § 3. Vicarios cooperatores e clero saeculari nominat Episcopus, audito, nisi aliter prudenter iudicaverit, parocho. § 4. Vicarios cooperatores religiosos Superior cui id ex statutis

---

12 Hinc sententia Ojetti — cui etiam ex eo specialis aliqua auctoritas (utique privata) conveniebat, quod auctor Praesidi Pontificiae Commissionis pro CIC praeparando in negotio codificationis tamquam secretarius assistebat et hinc mentem huius Commissionis bene noverat — per can. 35 iur. Or. confirmata fuit: « Quod si quis vellet interpretationem a me propositam oppugnare, quod vitandi sint sexcenti casus nullitatis, quos committere possunt quotidie superiores negligentes exquirere consilium aliorum secundum praescriptum iuris; et quod remedium afferendum sit tot tantisque malis, quae ex huiusmodi superiorum negligentia consequuntur, — nonne melius foret petere a Commissione Pontificia interpretationem prorsus restrictivam vel totalem abrogationem dispositionis can. 105 § 1, quam ius calumniari et verba captare, ut ait Paulus, vertendo in damnum communitatis quod a iure sapientissime in eius bonum inductum est, scilicet ne superiores imprudenter agant et in agendo proprio arbitrio nimium indulgeant? Ultimo animadvertere id placet, quod, si vera sunt quae ad me relata fuerunt nuperrime, S. C. Concilii interpretationi a me propositae praxi sua prorsus adhaerere videtur ». (o. c. 201 s.).

competit, audito, nisi contrarium opportunum duxerit, parocho, praesentat Episcopo, cuius est eosdem approbare » [13].

In hoc igitur negotio iuridico specifico, scilicet in nominatione vicariorum cooperatorum, legislator consilium audiendum parochi non imponit absolute. Hinc haec norma iur. Or. discrepat a respectiva norma can. 476 §§ 3 et 4 CIC. Non immerito inde concludi potest quoad unum alterumve negotium iuridicum specificum legislatorem forte temperare normam generalem can. 105 CIC de consilio audiendo. Utique talis mens legislatoris temperandi normam generalem quoad determinatum negotium iuridicum non potest praesumi, sed positive probanda est. De se norma generalis applicanda est, nisi certo et obiective constet legislatorem quoad determinatum negotium iuridicum temperare normam generalem.

Conclusio

Ex can. 35 iuris Orientalis recenter promulgati de personis clare apparet mens legislatoris de necessario audiendo consilio ex parte Superioris ad valide agendum. Hinc quoad interpretationem can. 105 CIC dubium iuris, si hoc unquam exstabat, non iam habetur: Consilium audiendum est ad validitatem negotii iuridici. Si quoad negotium iuridicum specificum affirmatur legislatorem non

---

[13] AAS 1957, 589.

urgere hanc normam generalem, talis mens legislatoris non debet a priori excludi, sed in singulis casibus positive probanda est [14].

WILHELMUS BERTRAMS, S. J.

[14] Non intendimus hic tangere alias quaestiones, quae circa interpretationem can. 105 CIC habentur. Liceat tantum notare, quod can. 35 iur. Or. habetur in capite, cuius titulus est: « De iis quae sunt personis tam physicis quam moralibus communia ». (AAS 1957, 445).

DE "POSITIVISMO" QUODAM IURIDICO NOTA PRACTICA

1. Satis notae sunt difficiles ac paene interminabiles discussiones, quae non raro oriri solent, quoties moralis theologiae vel ethicae periti cum iuris civilis peritis agunt de iure naturali eiusque valore iuridico, quem illi firmiter affirmant, hi aeque firmiter negant. Quod non tantum accidit, si iurisperiti illi sunt tales, qui nec ius naturale nec ullam aliam normam ethicam absoluti valoris agnoscere velint, sive ob propriam indifferentiam moralem, sive ob falsam doctrinam philosophicam. De his hic nihil amplius dicam. Inveniuntur non raro etiam iurisperiti honestissimi immo et boni christiani, qui defendunt aliquod sic dictum « positivismum » iuridicum. Atqui mihi videor expertus esse, saepe saepius huiusmodi discussiones esse infructuosas, non quia opiniones non concordant de obiectiva rerum veritate, sed quia disputantes, alio et alio sensu conceptus et voces adhibentes, sibi invicem contradicere videntur, dum reapse non contra, sed praeter utriusque partis sententiam loquuntur.

2. Illi enim, affirmantes omne ius esse positivum, minime intendunt negare existentiam normarum ethicae, quae absolute obligant conscientiam. Admittunt, etiam in materia iustitiae dari principia, quae independenter ab omni iure positivo, casu quo etiam contra ius positivum, incon-

cusse servari debent. Admittunt, inter fines seu motiva iuris positivi eminere rationes iustitiae et aequitatis servandae.

Amplius, iustis legibus positivis ipsis attribuunt vim ethicam, in quantum praecepta, a legitima auctoritate subditis data, horum etiam conscientiam ligant ad praecepta exsequenda. Legislator, etiam secundum ipsos, tenetur in legibus ferendis rationem habere normarum iustitiae et aequitatis et in genere omnis honestatis, quod si non fecerit ac inhonestum praescripserit, neque conscientiam subditorum obligaret, immo hi tenerentur legi resistere. Ultro hi iurisperiti, si sunt catholici, concedent moralistis et canonistis, catholicos in conscientia debere exsequi ultimas voluntates in causas pias factas, etsi desunt solemnitates a iure civili ad valorem requisitae; divortium civile in conscientia nullum habere valorem, etc. Brevi, quicquid ethica vel theologia moralis de rerum obiectiva veritate docet, et illi iurisperiti firmiter sustinent, eiusque valorem normativum agnoscunt.

3. Sola quaestio ad quam disputatio cum illis reduci potest, est utrum id, quod in iure ethicum inest, et ipsum *vocari* debeat ius, necne, seu utrum *subsumi* debeat sub *notione* iuris, an potius sub notione ethicae vel theologiae moralis. Illi positivistae non negant ius naturale existere, obligare, valere, at negant id convenienter vocari *ius*. Item valorem ethicum, qui iuri positivo, legibus vel consuetudine vel constanti iurisprudentia iudicum statuto, inest, non reducunt ad conceptum iuris,

sed illud elementum ad ethicam remittunt, de quo moralistis iudicandum est, non iurisperitis.

4. Ius enim sensu vero et proprio, obiectum formale scientiarum iuridicarum, distinguendum est, inquiunt illi, ab eius momento ethico, quod pertinet ad obiectum formale alterius scientiae; et consistit in complexu normarum, quae definiunt quo modo auctoritas publica eiusque organa iudicialia et administrativa agent, positis determinatis actionibus et omissionibus civium vel aliis factis, quae iuridica vocantur eo ipso, quod habent effectos agnitos a publica auctoritate, quos eius organa, publicis etiam adhibitis mediis coactivis, securos reddunt. Scientia iuridica est cognitio ordinata seu systematica harum normarum eorumque effectuum. Illud ius illaque scientia iuridica sunt utique tota quanta positiva, cum prorsus abstineat ab aspectibus ethicis iuris, quin tamen, iterum repeto, illos aspectus ullo modo neget nec eorum valorem parvi aestimet; contra, habentur maioris vis et dignitatis ac ipsae normae positivae stricto sensu iuridicae.

5. Si quaestio ita ponitur, patet eam non versari de obiectiva rerum veritate, sed tantum de modo quo illa veritas aptius conceptibus nostris exprimatur. Est quaestio methodologica, non ontologica. Quid scilicet magis conveniat: an sub notione iuris et sub scientiis iuridicis comprehendere etiam elementa ethica et iudicia ethica, an potius ius et scientiam iuridicam restringere ad normas positivas, relictis iudiciis ethicis scientiis ethicae et theologiae moralis?

Ni fallor, positivismus iuridicus, quem defen-

dunt permulti iuris civilis periti christiani, est ille positivismus methodologicus, non ontologicus.

6. En exemplum concretum quo clarius appareat, in quanam re consistat talis positivismus iuridicus. In multis iuribus modernis admittitur divortium. Ea iura positiva statuunt determinatas conditiones, quibus impletis coniuges vel alterutrum eorum a iudice petere et obtinere possunt solutionem vinculi matrimonialis, ita ut iura et obligationes ex illo vinculo ortae coram auctoritate publica iam invocari nequeant. Moralistae et cultores ethicae christianae dicent, divortium illud non existere nullumque habere effectum iuridicum, cum nullum sit ius auctoritati publicae dissolvendi matrimonia. Legisperitus catholicus « positivista », quod rei veritatem obiectivam attinet, in nulla re a moralista dissentiet; solummodo differt in modo quo illam veritatem concipit et verbis exprimit. Dicet, nullum gubernium habere facultatem moralem legem divortii ferendi; coniuges, non obstante sententia divortii a iudice lata, in conscientia teneri matrimonio contracto, illosque pariter obligari ad se ab altero matrimonio contrahendo abstinendos; novum matrimonium forte contractum nullum valorem moralem habere, etc. Haec omnia autem non sunt iudicia iuridica, sed ethica, etiam in quantum spectant iura et obligationes mutuas coniugum, iudicia utique summi valoris, quae coniuges omnino observare tenentur. Ius positivum autem est divortium, nam, sententia prolata, divortium, non iam matrimonium, est norma quam de facto sequitur auctoritas publica eiusque organa, ad quam normam de facto servandam

etiam invocari possunt media coactiva publica. Negare valorem iuridicum divortii est negare factum evidens; nam ille valor consistit tantum in certitudine illius interventus organorum publicorum. Ad iurisperitum spectat habere scientiam exactam et ordinatam huiusmodi legum, earumque conditionum et effectuum. Qua scientia utique in bonum, non in malum uti debebit; scientia autem ipsa non est de bono vel malo, sed de factis.

7. Si lector hucusque dicta bene perspexerit, iam intellexit, proprie dici non posse positivismum iuridicum, *hoc sensu* acceptum, aut iusnaturalismum esse verum vel falsum; tantum disputari potest quaestio, utrum methodologice conveniat magis, eligere unum vel alterum modum exprimendi eandem realitatem.

Atqui, non desunt rationes quae suadere videntur methodum positivismi iuridici, maxime si res a parte legisperitorum consideratur.

8. Iurisperiti, qui munus *practicum* exercent, ut advocati et procuratoris, iudicis, officialis publici, consiliarii iuridici societatum commercialium, experti in re tributaria, executoris et similium, vi officii, seu qua tales, occupantur in solis quaestionibus iuris positivi solvendis. Utique tenentur et ipsi observare normas ethicas professionales, sicut ii qui eorum auxilio utuntur. At, in quantum iuristae sunt, non dant consilia ethica, et alii ab ipsis talia non quaerunt. Si dubia de liceitate morali eorum actionum surgunt, ipsi solent consulere moralistas vel ad eos clientes suos remittere, et moralistae sibi conscii sunt, hoc recte fieri, quia ipsi aestimantur vi muneris soli com-

petentes ad haec dubia solvenda. Quid aliud hoc implicite significat, nisi quod normae ethicae, non exclusis normis iuris naturalis, non pertinent ad illud ius, quod est ius iuristarum? Seu obiectum formale eorum scientiae et specialis competentiae non esse ius naturale, sed ius positivum? Id autem, et nihil amplius, plerique iuristae honesti et christiani dicere intendunt, si affirmant ius naturale non esse ius sensu vero et proprio, vel si iuri naturali negant valorem iuridicum. Immo, plerumque nihil amplius affirmare intendunt, si dicunt ius naturale non existere, etsi tunc propriam sententiam verbis prorsus ineptis significant, quae per se nata sunt ad gignendum confusionem; intentio autem est, id, quod solet vocari ius naturale, existere quidem, at non apte vocari ius, vel nonnisi analogice. Non dico, illam intentionem semper ipsis iuristis esse perspicuam et consciam, immo plerumque non erit. At mihi videtur hanc intentionem concordare verae eorum menti, eosque consensuros esse huic interpretationi, si illis explicata fuerit.

9. Iuris civilis periti, maxime iuris civilis privati, qui non tantum exercent munus practicum, sed quorum proprium officium est colere *scientiam* iuridicam, vel maiores experiuntur difficultates in admittenda indole iuridica iuris naturalis. Methodus enim, qua maxime in doctrina moderna conceptus fundamentales efformantur, toto coelo differt a methodo, quam sequitur ethica vel theologia moralis in suis notionibus definiendis.

10. Exempli gratia sumamus notionem *obligationis*. Scientia iuridica nequit operari cum no-

tione debiti moralis aliquid faciendi vel omittendi, vel minus scientia iuris privati patrimonialis. Elementa quae constituunt huiusmodi *obligationem iuridicam* sunt plura. Imprimis requiritur, ut habeatur praeceptum datum ab uno ex fontibus iuris positivi, ut lege, consuetudine, sententia iudiciali. Non raro ipse fons iuris positivi, aliquid praecipiendo seu normam statuendo, remittit ad normam ethicam, ut bonos mores, aequitatem, decentiam, bonam fidem, etc.; hae normae autem in iure invocari nequeunt nisi mediante aliquo fonte iuris positivi, ab ipso hoc iure agniti.

Requiritur praeterea, ut non adimpletio praecepti habeat effectum iuridicum, sine quo vera obligatio iuridica non concipitur. Ille effectus potest esse aliud praeceptum iuris subsidiarium, vi cuius is, qui non adimplevit obligationem primariam, contrahit obligationem secundariam, sc. restituendi creditori damnum ex non adimpleta obligatione ortum, vel ei solvendi certam summam pecuniae ut mulctam. Effectus non impletionis potest esse etiam, ut creditor invocare valet auxilium auctoritatis publicae, quae sua potestate coactiva utitur ad cogendum debitorem, mediis directis vel indirectis, ut adimpleat. Praeterea alii effectus non adimpletionis sunt vel esse possunt, quod debitor perdit aliquod ius, ut: utendi re sua, quam creditor possidet et retinere potest; exigendi contra-praestationem in contractibus synallagmaticis; uxor quae non servat obligationem vitae communis, perdit ius ad sustentationem, etc.

Porro obligationi iuridicae patrimoniali proprium est, ut ei adiungi possit obligatio secunda-

ria, ut fideiussio, pignoratio, hypotheca; ut novae actiones ei addi possint, vel actio existens in novam actionem commutari; ut valida sit traditio iuris vi obligationis facta; ut impletio obligationis habeatur solutio debiti, non actio indebita, quod iterum plures secumfert effectus iuridicos.

11. Si desunt talia elementa positiva, quae obligationem iuridicam constituunt, debitum morale aliquid faciendi vel omittendi adesse potest, non autem debitum iuridicum. Obligationes quae oriuntur ex alio fonte ac ex fontibus iuris positivi, quibus ius positivum nullam concedit actionem nullumque effectum iuridicum tribuit, non recte vocarentur obligationes iuridicae. Ceterum transitus ab obligatione mere morali ad obligationem pleno sensu iuridicam non est repentinus, at paulatim notio obligationis ab una ad alteram speciem defluit. Ratio est, quod effectus iuridici obligationis iuridicae non sunt ab invicem inseparabiles; habentur varii casus, in quibus alii effectus adsunt, alii desunt. Inde venit, quod etiam obligationes, quae non profluunt ex fonte iuris positivi et quarum creditoribus nulla actio in iure conceditur contra debitorem, aliquo modo in iure agnoscuntur seu quosdam effectus iuridicos habent.

12. In omnibus iuribus positivis inveniuntur huiusmodi *obligationes naturales*, quae hoc nomine in doctrina vel etiam in ipsis legibus vocantur hac ipsa ratione, quod non oriuntur ex iure, sed ex debito mere morali seu ethico vel decentiae. In iure tamen recipiuntur, quia non manent mere naturales, sed fiunt plus minusve iuridicae propter effectus quos et ius *positivum* iis agnoscit, sive

illi effectus sint pauci sive sint plures. Primus effectus est ut debitor, contra quem creditor actionem instituere nequit, si tamen sponte debitum solvit, non iam potest uti condictione indebiti, etsi forte erronee putavit, debitum in iure a se exigi posse, et hic error dedit causam solutioni. Effectus iam plenior habetur, si creditori obligationis naturalis conceditur ius compensationis et ius retentionis. Ita in iure germanico (DBGB 390), post praescriptionem extinctivam manente obligatione naturali, creditor potest invocare compensationem, si et ipse debitori solvere tenetur. Ulterius adimpletio obligationis naturalis potest haberi ut actus debitus, et non gratuitus seu donatio, inde non applicantur normae quae statuunt conditiones et solemnitates donationis. Plerumque tamen solutio debiti naturalis habetur actus indebitus respectu actionis paulianae, quam creditores contra debitores (plene « iuridicos ») instituere possunt ad praecavendam diminutionem patrimonii a debitore factam actibus indebitis.

Ex dictis sequitur, varios gradus iuridicitatis obligationis haberi, qui intercedunt inter obligationem solius iuris naturalis et obligationem pleno sensu iuridicam.

13. Analoga etiam valent de aliis notionibus quibus scientia iuridica utitur, ut iuris subiectivi, subiecti iuris seu personae iuridicae, actus iuridici etc. Tales notiones in iure sunt inutiles, si non significant determinatos effectus iuridicos. Immo in genere dici potest, plerasque notiones iuridicas non ideo efformari ut significent aliquam veritatem necessariam, nequidem deontologicam, sed ad

significandos effectus iuridicos singulis notionibus proprios. Complexus seu systema illarum notionum tanto erit perfectius, quanto modo magis simplici, claro et efficaci sub uno aspectu posuerit varia facta iuridica variosque effectus qui ex factis illis sequuntur. Sunt, ut ita dicam, notiones operativae, non speculativae, sive spectant ordinatam cognitionem unius determinati ordinis iuridici, sive scientiam iuris positivi in genere.

14. Ratio ultima huius indolis positivae iuris, et proinde scientiae iuridicae, et ipsa positivi iuris est. Plerique ordines iuridici moderni sunt sic dicta systemata clausa. Codificationes variarum sectionum iuris in variis nationibus maxime, etsi non unice, ad talem conceptionem efformandam contribuerunt. Elementum essentiale systematis clausi est, quod iudices, in sententiis efformandis et redigendis, nullum argumentum seu praeceptum iuris invocare valent, quod non invenitur in lege positiva et in aliis fontibus iuris si et in quantum a lege illa agnoscuntur.

In multis ordinibus iuridicis antiquis hoc principium non valebat nec hodie etiam valet, ac maior iudici relinquitur libertas inveniendi illud iudicium, quod in singulis casibus ipsi videbatur iustius ac aequius. Ubi autem relationes iuridicae multo magis complicatae factae sunt, praesertim per evolutionem iuris commercialis, certitudo iuris obiectivi tantum valorem acquisivit, ut libertati iudicis inveniendi iustum in singulis casibus praeferretur lex, iusta quidem in pluribus, iniqua forte in casibus. Accedit quod, in una natione hominibus diversarum religionum et opinionum mo-

ralium conviventibus, singulorum iudicum opinioni fiduciam non adhibent, at lege communi omnia, quantum fieri possit, ordinare volunt. Hinc omne ius iudex, et per consequentiam omnes reliqui iurisperiti, adnectere debent legibus, et pro illis ius extra illas non datur.

Nemo non videt, in modernis Statibus evolutis systema clausum non esse reprobandum, contra illud esse prorsus inevitabile. Ita per se optandum utique est, ut ius canonicum pro suis subditis catholicis ubique etiam civiliter valeat, saltem in praecipuis materiis, ut in re matrimoniali. Id autem hodie non potest vi solius iuris canonici, vel minus vi sententiae liberae iudicis, sed vi concordati seu legis positivae, qua ius canonicum in iure civili recipitur et valorem civilem obtinet. Quod ceteroquin iure ipso concordatario potius statuitur quam confirmatur.

15. Admissa necessaria positivitate iuris ut postulatum methodologicum, eo fine ut convenienter scientiae inter se distinguantur, non tamen inde sequitur, omne omnino elementum ethicum methodologice et systematice a scientia iuris esse expellendum. Inter eos, qui egregie defenderunt doctrinam, sub notione iuris subsumenda esse elementa ethica, quae in ipso iure positivo continentur, est famosus iurista. E. M. MEIJERS, professor in Universitate Lugduni Batavorum (Leiden), recenter defunctus. Eius argumenta breviter comprehendam.

16. In praelectionibus de doctrina generali iuris civilis privati ipse solebat tractare quaestionem, utrum obligatio iuridica sit tantummodo nor-

ma, cuius transgressio causat determinatas reactiones auctoritatis publicae eiusque organorum; an estne etiam immo primarie norma quae immediate ipsam personam, subiectum obligationis, respicit, ita ut sit motivum ethicum agendi iuxta normam, etiam abstractione facta a reactione auctoritatis?

Nullum est dubium praecepta iuridica, in obiectiva rerum veritate habere illum valorem ethicum. Non tantum, in quantum praecepta illa immediate profluunt ex normis ethicis, ut « non furtum facies » vel simpliciter remittunt ad illas normas, ut « bonos mores », « bonum patremfamilias », « bonam fidem », « aequitatem », « decentiam » etc.; sed etiam in quantum sunt sic dictae normae haeteronomae, ius mere positivum, efformatum lege, consuetudine, sententiis constantibus iudicialibus. Transgressor iuris non tantum imprudenter agit, quia auctoritas reaget modo ipsi iniucundo, sed ethice male agit. Civis honestus magni aestimat ius et legem, ita ut haec ipsi sint motivum agendi secundum ea.

17. Haec est veritas obiectiva, de qua omnibus hominibus honestis constat. Alia autem est quaestio, mere systematica seu methodologica, utrum vis ethica praecepti iuridici habenda sit obiectum scientiae iuridicae, seu utrum illa vis sit subsumenda sub notione iuris; an potius notio iuris restringi debeat ad effectus interventu vel coactione auctoritatis publicae obtinendas, remisso elemento ethico ad ethicam eiusque scientiae cultores?

Si altera haec methodus recipitur, dicendum est, *ius* totum quantum consistere in reactionibus

auctoritatis publicae causatas ab actibus subiectorum iuris. Praecepta civibus data *iuridice* considerata non sunt praecepta, at mere communicationes seu nuntia civibus data, quibus scilicet conditionibus impletis quales interventus qualium iudicum vel aliorum organorum Status cives exspectare possint. Si a vobis talia facta fuerint, a nobis talia fient. Nil amplius. *Iuridice* indifferens est quid deinde fiat, sive observatio sive transgressio normarum; *iuridice* interest tantum, ut effectus praeannuntiati accurate sequentur.

Prof. Meijers strenue defendebat convenientiam methodologicam subsumendi illud elementum ethicum sub notione iuris seu sub obiecto scientiae iuridicae.

Primo quia valòr omnis ordinis iuridici magis nititur vi morali praeceptorum quam timore reactionum organorum Status. Atqui non est methodus scientifice conveniens, seiungere normas in quantum sunt conditiones interventus auctoritatis, a normis in quantum habent vim moralem, quod est fundamentum praecipuum valoris realis iuris.

Vicissim illa separatio nocere potest, si minus logice tunc saltem practice, dignitati et auctoritati iuris. Si nota propria iuris et normarum eius sistit in regulis, quae definiunt conditiones, sub quibus coactio publica applicari vel invocari potest, difficile erit evitare conclusionem, omne omnino praeceptum debita forma editum a gubernio, esse ius, quidquid sit de eius ethico valore; immo ius esse quidquid usurpator vel tyrannus vel dux latronum fieri iusserit, dummodo potestatem habeant cogendi homines ad iussa sua observanda. Utique illi

qui hanc consequentiam admittunt, non dicent cives teneri oboedire praecepto iniusto gubernii vel praeceptis usurpatoris, tyranni vel ducis latronum; in quantum autem iuri oboedire vel non oboedire tenentur, est quaestio quae spectat moralistas, non iuristas. Parum autem placet hoc responsum.

Methodice inconveniens est in una eademque realitate separare substantiam seu id quod est primarium ab illo quod est consequens et secundarium eaque diversis scientiis assignare. Obiectum scientiae iuridicae est ius positivum. Atqui illud obiectum realiter continet elementa ethica, quae etiam sunt praecipua. Ergo scientia iuridica etiam illa elementa considerare debet. Systema complexum coactionis publicae totum quantum inservit tutelae et conservationi ordinis iuridici, qui ipse directe tendit ad iustitiam, pacem, bonos mores, securitatem et in genere bona socialia humana et ethica tuenda et promovenda. Si methodice illud systema coactionis ab unico et immediato suo fine dissolvitur, iterum non logica necessitate, sed practice timendum est, ne illa essentialis et intrinseca finalitas oblivioni detur, quod tandem aliquando ducere deberet ad definitionem scientiae iuridicae, quae ita fere sonaret: « scientia iuris est illa scientia, quae docet quibus mediis socialibus homines efficacius ad aliquid cogi possint ». Vel: « obiectum scientiae iuris est apparatus coactionis in manibus eorum, qui fortiores sunt in societate ». Si scientia iuridica in obiecto ipso formali primo loco ponat vim normativam iuris, et nonnisi secundo loco functionem coactivam, securiorem omnino

eligit viam ad suum obiectum, quod est reale ius positivum, plenius intelligendum.

18. Alia conceptio seu notio iuris in genere secumfert alias notiones specificas iuridicas, aliamque methodum ad illas definiendas. Dabimus quaedam exempla.

Ponuntur a iuristis quaestiones huiusmodi: haeres accepit haereditatem sub beneficio inventarii; habetne ipse obligationem solvendi debita testatoris? Aliquis factus est proprietarius alicuius rei immobilis cui adnexa est hypotheca; habetne ipse obligationem solvendi debitum, pro quo hypotheca constituta fuit?

Iurisperiti, ut respondeant huiusmodi quaestionibus, solent statim inquirere in effectus legales, qui sequuntur si haeres beneficiarius vel proprietarius debita non solvunt: possuntne sententia iudicis constringi ad resarciendum damnum, ex non solutis debitis creditoribus ortum? Possuntne creditores a iudice petere ut declaret eorum 'fallimentum'? Vel, si haeres aut proprietarius, errore ducti, debita solverint, an pecunias suas ope iudicis repetere possunt?

Prof. Meijers hanc methodum, quam tamen passim iudices et iurisperiti applicant, reprobat. Methodice primum quaeri debet, an norma primaria adsit, scilicet: 'teneris solvere debitum'. An reprehensibiles sunt haeredes beneficiarii vel proprietarii bonorum gravatorum hypothecis debitorum aliorum, si debitum non solvunt? Tantum si haec norma, quae immediate respicit subiecta, adesset, effectus reliqui legales ex eorum *obligatione* provenire dici posset.

Utique, si haeres vel proprietarius debitum non solvit, creditores petere possunt exsecutionem haereditatis vel rei immobilis hypotheca gravatae. Inde sequitur quidem, haeredis vel proprietarii interesse ut debitum solvatur, non autem ipsum ad hoc obligari. Minime ethice reprehensibiles sunt, si sinunt sequestrari haereditatem vel res immobiles, et ipsi nihil solvunt.

19. In legibus ipsis desideratur plerumque accuratior methodus hac in re. Saepe utuntur iisdem verbis in normis, quae intendunt imponere obligationes, ac in illis, quae talem intentionem non habent. V. gr. si lex statuit, actorem in processu debere probare facta ab ipso allata. Actor, qui facta non probaverit, debebit quidem admittere effectus iniucundos, quos lex coniunxit defectui probationis: at lex minime vult reprehensibilem declarare actorem, qui probationes dare nequit vel nolit. Item si lex dicit, creditorem debere praevenire seu impedire damnum, quod provenit ex mora debitoris, si id impedire potest absque nimio labore et impensis; non intendit statuere normam quae immediate respicit creditorem, ac si aliquid iniustum faceret damnum non impediendo; at tantum vult statuere, huiusmodi damnum non esse restituendum a debitore. Optandum esset, ut ipsae leges accuratius distinguerent inter normas, quae obligationem subiectis imponere intendunt, et normas, quae revera non sunt nisi conditiones effectuum iuridicorum.

20. Ratio notabilis, cur iuristae in praxi seiungunt elementum ethicum ab officio iuridico et ab obligatione iuridica, est haec. In iuribus modernis

passim amentes, infantes, personae iuridicae, ut haereditas iacens, succedunt in obligationibus, quas antea habebant personae physicae. Obligatio concipitur eadem manere et transire ab uno subiecto ad alterum. Difficile videtur hic transitus concipi, si notio obligationis comprehendit etiam, immo primarie, elementum ethicum seu normam, iuxta quam subiectum in conscientia tenetur, in casibus ubi illud subiectum conscientia caret. In iuribus antiquis idcirco ut subiecta obligationum, habebantur tutores vel curatores vel executores testamenti. Constructio moderna, quae obligationes immediate tribuit amentibus, infantibus, personis iuridicis, praeferenda est, quia est simplicior et facilius ordinat effectus iuridicos.

Nihil autem obstat, quominus haec constructio moderna adhibeatur, etiamsi notio obligationis iuridicae continet normam agendi pro subiecto. Si enim effectus iuridici obligationis subiecti inconscii sunt iidem ac effectus obligationis subiecti conscii, ipsa natura practica notionum iuridicarum postulat, ut « obligatio inconscia » subsumatur sub notione obligationis normalis. Quod fieri potest sive ope fictionis iuris, sive admittendo analogiam imperfectam obligationis, sive aliis modis, quae quoad rem significandam non differunt inter se. Minime autem cogimur ad elementum ethicum removendum a notione obligationis iuridicae in genere, hac sola ratione quod aliquando hac notione utimur, quin illud elementum adsit.

21. Differentia inter duas conceptiones iuris et obligationis clare etiam apparet in distinctione

quam faciunt iuristae inter obligationes primarias et obligationes secundarias.

Obligatio primaria est illa, quae directe et per seipsam constituit normam agendi pro subiecto, ut solvendi debitum, implendi contractum, etc.

Obligatio subsidiaria est illa, qua quis ligatur si egerit contra normam primariam, ut restituendi damnum ortum creditori ex non soluto debito vel altero contrahenti ex non impleto contractu, solvendi mulctam, auferendi id quod illegitime quis construxerit in agro alieno, etc.

Obligatio secundaria non existit propter seipsam, sed propter obligationem primariam et ad urgendam huius executionem. Ipsa autem obligatio primaria plerumque non est obnoxia coactioni publicae auctoritatis, sed tantum obligatio secundaria.

Haec distinctio satis obvia et perspicua prorsus invertitur ab iis, qui iuris notionem ponunt in sola coercibilitate. Obligatio secundaria est, ita illi, solvendi debitum vel implendi contractum. Haec obligatio iuridica satis indifferens est, cum non habeat immediate effectum iuridicum, interventus scilicet organorum Status. Sunt qui contractum vocaverunt 'nihil iuridicum' ('ein iuristisches Nichts'), cum unicus effectus in iure notabilis esset actio ad damnum restituendum si contractus ipse non adimpletur. Iam propius ad campum iuris accedimus, si obligatio illa secundaria non habet debitum effectum. Tunc enim surgit vero obligatio iuridica, quae primaria vocari debet, quia immediate obnoxia est coactioni publicae.

Iterum, si haec methodus ad extremum usque perduceretur, ultima et sola vera obligatio iuridica esset illa, ad quam implendam, post sententiam iudicis eiusque executionem, physica necessitate constringimur. Nam obligationes derivantur in hac methodo a coercibilitate, non coercibilitas ab obligatione praeexistente.

Ita quidam iuristae, ceteroquin eximii, putaverunt hypothecam, quam tutor pupilli minorennis in initio accepti officii constituit, esse accessoriam obligationis restituendi damnum, si male bona pupilli administraverit; esset proinde hypotheca constituta pro debito forte futuro. Ac si primaria obligatio tutoris esset restituere damnum malae administrationis. Talis hypotheca assicurare intendit fidelem executionem obligationis primariae et immediatae, bene scilicet administrandi.

Eadem inversio notabilis est in definitionibus iurium positivorum. Sunt v. gr. qui ius ad res mobiles ponunt in eo, quod possessor habet actionem contra eos, qui suam possessionem illegitime disturbant. Ac si non primarie habuisset ius, ne alii eius possessionem illegitime disturbent!

22. Notabilis est etiam diversitas notionis iuris et obligationis in solvenda quaestione, utrum sententia iudicialis sit declarativa iuris existentis an constitutiva novi iuris.

Fautores sententiae, quae iura et obligationes iuridicas primarie concipit ut conditiones coercitionis publicae, sententiam definitivam, seu rem iudicatam, cuius veritas praesumitur praesumptione iuris et de iure, constitutivam iuris et obligationis habent. Norma enim, iuxta quam coactio pu-

blica procedit, est sententia iudicis, sive haec concordat relationibus iuridicis ante sententiam existentibus sive non. Utique, debitor habebit obligationem ethicam solvendi debitum quod in rei veritate existebat; obligatio autem iuridica iam nititur sola sententia. Sententia creat ius, non illud declarat tantum.

Non ita iudicabit sententia, quae in obligatione iuridica aliquid plus vidit quam effectus minationis coactionis publicae. Sententia iudicialis non habet valorem independentem a relationibus iuridicis de quibus iudicat. Si sententia est recta, addit medium coercitionis ad obligationem praeexistentem exsequendam. Si non est recta, non per se exstinguitur ipsa obligatio, at per accidens non conceditur medium coercitivum ad illam exsequendam. Ius creditoris non dependet a sententia. Obligatio autem debitoris, post sententiam definitivam quae medium coactivum ad eam exsequendam non concedit creditori, non tantum ethica vocari debet, sed etiam iuridica, dummodo quosdam effectus iuridicos habere pergat. Sufficit v. gr., quod solutio debiti facta a debitore, quem sententia erronee a debito absolvit, non habetur actus indebitus seu donatio; item, si non est donatio restitutio illius, quod aliquis vi sententiae iniustae recepit. Vel quod pars conventa, quae antea obtinuerat sententiam sibi favorabilem, postea autem in processu posteriori agnoscit, illam sententiam fuisse erroneam, adhuc condemnari potest. Et visissim, quod exsecutio sententiae erroneae, facta ab illo, qui sibi huius erroris est conscius idque deinde agnoscit, praebet titulum contra eum procedendi

propter actum iniustum. Si autem obligatio ethica, post erroneam sententiam adhuc existens, nullo prorsus medio iuridico positivo iam fulcitur, tunc revera rectius mere ethica dicetur, et non amplius iuridica, cum iam tota versatur extra campum iuris positivi et proinde extra obiectum scientiae iuridicae.

23. Notabilis demum est diversitas notionis iuris in problemate sequenti.

Dantur plura facta iuridica, qui habent effectus iuridicos cum vi retroactiva. In haud paucis casibus haec retroactivitas dependet a declaratione eorum quibus res interest. Ita in filiis naturalibus agnoscendis declaratio patris paternitatem retrotrahit ad momentum nativitatis filii; in haereditatibus acceptandis vel repudiandis declaratio haeredis retrotrahit effectus acceptationis vel repudiationis ad momentum quo testator defunctus est; in rescindendis contractibus synallagmaticis ob malam praestationem unius partis, declaratio alterius partis retrotrahit effectus rescissionis ad momentum initi contractus; in mutuis debitis compensandis declaratio unius debitoris retrotrahit effectus compensationis ad momentum, quo utrumque debitum simul existebat; etc. In haud paucis casibus quaestio poni potest: effectus illi suntne effectus declarationis, quae habet vim retroactivam, an sunt effectus ipsius facti, a quo concipiuntur incipere: coexistentiae duorum debitorum mutuorum, malae praestationis, partus filii?

Eadem quaestio poni potest in omnibus illis casibus, in quibus iudex non vi officii effectus iuridicos factorum iuridicorum admittere debet, sed

tantum quando is, cuius interest, illa facta appellat, ut praescriptionem exstinctivam, tempore legitimo praescriptionis elapso. An debitum exstinguitur praescriptione, an potius declaratione illius qui praescriptionem appellat?

Qui opinatur, ius consistere in coercibilitate, facilius etiam admittet, declarationes esse causas immediatas effectuum, cum ipsae sint conditiones immediatae interventus coercitivi auctoritatis publicae. Contra qui tenet, iura et obligationes iuridicas proprium et immediatum habere valorem, independenter a coactione publica, potius admittet, declarationes non necessario esse causas effectuum iuridicorum, at etiam esse posse meras conditiones, ut quis obtineat tutelam publicam ad iura sua, aliunde iam existentia, in tuto collocanda. Sola necessitas declarationis, ut effectus in iure seu coram iudice agnoscantur, non probat illos effectus necessario ex declaratione provenire.

24. Ex iis, quae hucusque exposuimus, sequentes conclusiones deduci posse videntur.

1° Positivismus iuridicus ontologicus, qui in eo consistit, quod nolit admittere ipsam existentiam normarum ethicarum, neque in materia iuris et iustitiae, iuristis catholicis est inadmissibilis.

2° Positivismus iuridicus methodologicus, qui in eo consistit, quod notionem et nomen iuris restringere vult ad ea sola phaenomena, quibus iure positivo effectus, auxilio organorum publicorum Status coercibiles, tribuuntur, et in quantum tribuuntur, iuristis catholicis non est prorsus inadmissibilis, quia in se ipso et per se non continet

ullam thesim, quae sanae doctrinae catholicae contradicat.

Si tamen omnino minus placet, est ob rationes scientificae methodologiae et ob rationes practicas. *Methodologice* enim non convenit, systema coactionis publicae, quod intrinsece dependet a systemate iurium et obligationum et totum ad illud ordinatur, tantum in se considerare, illudque facere obiectum formale scientiae iuridicae, iuribus et obligationibus, in quantum in se valorem humanum et ethicum habent, remissis ad alias scientias. *Practice* illa methodus dissuadenda est, quia si iuxtam illam iuvenes studentes scientiae iuridicae instituuntur, qui vix ullam institutionem in scientiis ethicae et theologiae moralis accipiunt, certo certius manca manebit illorum cognitio ordinis iuridici, eiusque veri valoris.

3° Positivismus iuridicus methodologicus, qui in eo consistit, quod ius et iuris scientia ad ius positivum limitat, ita tamen ut elementa ethica quae ipse ordo iuridicus continet, in illo obiecto formali comprehendantur, videtur methodus omnino recta, catholicis iuristis consulenda. Etenim:

Scientia iuridica moderna necessario positiva esse debet, cum iura ipsa moderna sunt positiva seu systemata clausa, quae non admittunt alias fontes iuris praeter ius positivum.

Cum autem et normae iuris positivi primarie respiciunt immediate personas, subiecta iurium et obligationum, quibus ius est motivum ethicum agendi, secundarie tantum media coactiva publica, sequitur:

1° negative: norma quae caret illo valore nor-

mativo pro actibus humanis, sive quia non est data a legitima auctoritate, sive quia repugnat principiis superioribus ethicae et morum, potius non ius vocari debet, seu non convenit eam subsumi sub notione iuris, etsi effectus coercitionis in quodam ordine iuridico positivo habet;

2° positive: valor normativus iuris positivi cadit sub obiecto formali scientiae iuridicae. Inde iuristarum est, non tantum inquirere in media, quae exsecutionem iurium et obligationum assicurant, sed vel magis in valorem ipsorum iurium et obligationum, diiudicando eorum iustitiam, aequitatem, prudentiam, claritatem etc.

25. Quoddam corollarium non erit forte omnino superfluum. Si etiam aspectus ethicus legum earumque praeceptorum partem constituit obiecti formalis scientiae iuridicae, non tantum optandum erit, sed ad ipsam scientificam institutionem iuristarum necessarium, ut studentes iuris etiam civilis methodice efformentur in scientia ethicae eiusque methodo, maxime in quantum spectat tractatum de iure et iustitia. Hoc postulatum ceterum non tantum scientiae iuris proderit, sed non minus scientiae ethicae eiusque tractatui de iure et iustitia. Aliud enim est, iustitiae normas audivisse in scholis et legisse in libris, aliud officium practicum exercere quod totum versari deberet in iure et iustitia tuenda et promovenda. In hac re multa adhuc optima et utilissima actionis catholicae opera sunt optanda et futura speranda.

P. Huizing, S. I.

MONUMENTA

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii

DE PRIVILEGIIS GERMANIAE
QUOD ATTINET AD MODOS MISSAE ADSISTENDI
die 23 Decembris, anno 1958 (Prot. N. 345/58)

(Kirchliches Amtsblatt für die Diözese Mainz 101 [1959] 19)

Em.mo ac Rev.mo Domino D.no Card. Josepho Frings, Archiepiscopo Colonien.

Em.me ac Rev.me Domine Mi Obs.me,

Mense novembri nuper elapso, Eminentia Tua Rev.ma, nomine Episcoporum Germaniae nonnulla dubia, competentiae causa, ad S. Officium retulit, quae exorta sunt ob normas datas per Instructionem a S. C. Rituum die 3 septembris h. a. editam, de Musica Sacra et Sacra Liturgia, praesertim quoad modum adsistendi Missae lectae.

Re mature perpensa, Em.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae S. Congregationis in Plenario Conventu F. IV, die 3 decembris 1958 habito, decreverunt:

« Privilegia per epistolam a Secretario Status Em.mo Cardinali Bertram die 24 decembris 1943 datam, qua prudenti arbitrio Ordinariorum locorum Germaniae remittebatur ordinatio modi Sa-

cro adsistendi itemque ea omnia quae a S. Officio concessa sunt per epistolam die 6 maii 1955 datam in suo vigore permanere; ideoque eosdem Ordinarios praefatis privilegiis, etiam in posterum uti posse. Sedulo autem iidem Ordinarii invigilent ne in usu horum privilegiorum aliquid fiat aut irrepat quod limites earumdem concessionum quomodocumque excedat ».

Quam decisionem Em.morum Patrum Summus Pontifex, in Audientia Fer. V, die 11 decembris pro Secretario S. Officii concessa, benigne adprobare dignatus est.

Velit ergo Eminentia Tua Rev.ma hoc decretum, quo meliore duxerit modo, cum ceteris Ordinariis locorum Germaniae communicare.

Hanc occasionem nactus Manus Tuas humiliter deosculor ac peculiares sensus venerationis Tibi pando meque profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae Addictissimum

† G. Card. Pizzardo, a secr.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide

INDULTA LITURGICA

PRO PROVINCIA ECCLESIASTICA AGRAENSI (INDIA)

die 24 Februarii, anno 1958 (Prot. N. 4795/57)

(The Clergy Monthly 22 [1958] 189-190)

1. Ut in Missis paroecialibus cantatis vel lectis, ministri competentes vel ipse celebrans, post cantationem vel lectionem epistolae et evangelii

latine, eadem immediate et versus populum lingua vernacula legere possint.

Affirmative.

2. Ut in Missis paroecialibus cantatis, Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei a congregatione cantari possint in lingua vernacula, post intonationem quidem latine a celebrante factam in casu Gloria et Credo.

Affirmative.

3. Ut omnes lectiones Sacrae Scripturae in Missis Tridui Sacri in lingua vernacula fieri possint, excepto solemni cantu Passionis quando habetur.

Affirmative.

4. Si indultum, de quo sub n. 3, non videtur expedire, ut saltem lectio Prophetiarum in Vigilia Paschali a celebrante vel a ministro competente semel in lingua vernacula fieri possit.

Nihil addendum est cum jam in tertia petitione inclusa est.

5. Vertendi et in lingua vernacula recitandi omnes exorcismos in ritu Baptismi. Similiter in lingua vernacula vertendi et recitandi minorem « Exorcismum in satanam et angelos apostatos », (Rit. Rom. Tit. XI Cap. III) et plures alias benedictiones Ritualis Romani, versione ab Episcopis probanda, sicut jam fuit factum pro parte ejusdem Ritualis.

Negative quoad exorcismos, Affirmative quoad benedictiones.

6. Ut Sacra Congregatio Rituum benigne conficere dignetur formulam Rituali Romano addendam pro « Benedictione Instrumentorum Opifi-

cum » die 1ma Maii in festo S. Josephi Opificis adhibendam; et ut ipsa, in lingua vernacula versa uti liceat.

Donec aliter provideatur, adhibeatur benedictio ad omnia.

7. Permittendi thurificationem in Missis lectis publicis diebus dominicis et festis cum aliqua solemnitate celebrandis, quando Missa cantari non potest, dummodo duo saltem ministrantes superpelliceo induti Missae inserviant.

Affirmative.

8. Ut Episcopi Missam simpliciter cantatam aliquoties celebrare possint, sine sacerdotibus assistentibus.

Affirmative.

9. Dispensandi ab abstinentia feria VIa fideles pauperes qui raro tantum carnem edere possunt.

Affirmative.

10. Binandi Missam in festis sequentibus: Purificationis B. V. M., Annunciationis, St. Josephi Opificis, S. Cordis Jesu, Nativitatis B. V. M., Imm. Conceptionis et St. Franc. Xaverii.

Affirmative.

11. Dispensandi a forma substantiali Matrimonii in casu verae necessitatis, et hanc facultatem Missionariis delegandi. — Petita facultas olim concessa est Ordinariis Sinensium a Sac. Cong. Concilii, die 27ma Julii 1908 (cfr. Archiv. S. C. de Prop. Fide, N. 82980: 1908, collata cum Respons. S. C. de Sacramentis, die 12ma Martii 1910, A.A.S. 1910, pg. 199 et sq.).

Ad S. Officium transmissa est.

Sacra Congregatio Caeremonialis

I

DECRETUM
(AAS II [24 ian. 1959] p. 45-46)

DE LOCO IN « CAPPELLA » ET POMPA PONTIFICIA OCCUPANDO A REV.MO P. COMMISSARIO S. OFFICII.

Inter Romanae Curiae munera haud ultimum sane recensendum munus est Commissarii Sacri ac Supremi Consilii Catholicae fidei morumque integritati tuendae, quod iam inde ab huius Consilii institutione, facta a Paulo Pp. III s. m., Bulla « Licet ab initio » die 21 Iulii a. 1542 data, ad nostra usque tempora in gravissimis huius Supremi Consilii negotiis et causis, quae apud ipsum agitantur, instruendis parandisque versatur, summo cum Catholicae Religionis praesidio atque emolumento. Hoc porro praestantissimum munus, quod dignitate proximum est muneri Adsessoris eiusdem Sacri Consilii, quodque a sua constitutione Dominicianis sodalibus constanter concreditum est, perinsignem Commissariorum seriem per saecula praebet, quos inter ille eminet Michaël Ghislieri, qui dein Pontifex Maximus Pii V nomine renuntiatus Petri Cathedram totamque Ecclesiam virtutum omnium splendore collustravit.

Cupiens igitur SSmus D. N. Pius XII novum paternae suae benevolentiae signum inclitae Dominicianae familiae exhibere, idemque novo decore

munus Commissarii Supremi Fidei Consilii honestare, benigne concessit ut Rev.mi Patres qui hanc dignitatem « pro tempore » obtinuissent, cum Praelatis in « Cappellis Pompisque Pontificiis » assiderent. Simul etiam praecepit huic Sacro a caerimoniis Consilio, cuius ex can. 254 munus est antecessionum ordinem in Aula Pontificia statuendi, ut proprium ederet de re decretum.

Huic ergo Summi Pontificis voluntati libenter obtemperans Sacrum de caerimoniis Consilium, re mature perpensa rationeque habita cum momenti et praestantiae antiquissimi muneris Commissarii S. Officii, tum ordinis antecessionis qui inter maiores Dominicianae familiae Praelatos viget, assignandum censuit et hoc decreto assignat Revmo P. Commissario « pro tempore » S. Officii, in Pontificiis Cappellis locum post S. R. Rotae Auditores et quidem proximum a Revmo Magistro S. P. Apostolici, in Pontificiis vero Pompis locum situm ad laevam eiusdem Revmi Magistri S. P. Apostolici.

Quae omnia, Summo Pontifici relata die 19 Aprilis a. 1958, Sanctitas Sua benigne probavit, quibuslibet contrariis non obstantibus.

Datum Roma, ex Sede Sacri Consilii caerimoniis praepositi, die 15 Maii a. 1958.

† Eugenius Card. Tisserant
Ep. Ostien. ac Portuen. et S. Rufinae, *Praefectus*

Beniaminus Nardone, *a Secretis*

II

DECRETUM

(AAS II [24 ian. 1959] p. 46-47)

DE LOCO PRAEFECTI PALATINAE COHORTIS HONORARIAE IN AULA PONTIFICIA

Palatinae Cohortis Honorariae Praefectus, per Sacrum Consilium caerimoniis praepositum, supplicem Summo Pontifici libellum obtulit rogans ut in Nobilium Virorum laicorum ordinem Pontificiae Aulae addictorum cooptaretur locumque post Cubicularios ab ense et lacerna obtineat. Quae si gratia sibi concederetur, rogabat porro ut eiusdem Palatinae Cohortis Propraefectus, ad normam vigentis eiusdem Cohortis constitutionis, in Conclavi, cui a Solio nomen, admitteretur, ultimo quidem loco.

Iamvero hoc Sacrum Consilium a caerimoniis, cuius est (cfr. can. 254) cognoscere « quaestiones de praecedentia » in Aula Pontificia, audita sententia Sacri Consilii publicis Ecclesiae negotiis expediendis, in cuius dicione Cohors Honoraria Palatina est, itemque E. V. Magistri ab admissionibus; diligenter perpensis eiusdem Cohortis recentissimis promeritis, maxime in suis gregariis adeo accurate bonis moribus, animi cultu militarique disciplina instituendis, ut primores sive ecclesiastici, sive civilis, sive militaris ordinis suam admirationem testati sint; decreto denique in memoriam revocato a Sacro Consilio a caerimo-

niis die 1 Maii a. 1865 dato, quo Palatinae Cohortis Honorariae Praefecto locus inter Cubicularios intimos ab ense et lacerna tributus est, censuit Praefecti Cohortis Palatinae Honorariae libellum Summi Pontificis iudicio esse proponendum.

Quam supplicem Praefecti Palatinae Cohortis petitionem Cardinalis Sacri Consilii a caerimoniis Praefectus, die 19 Aprilis a. 1958, Summo Pontifici Pio XII exhibuit; qui benigne petitioni annuens statuit ut Praefectus Cohortis Palatinae Honorariae in Nobilium laicorum ordinem Aulae Pontificiae addictorum cooptaretur post Cubicularios intimos ab ense et lacerna de numero; itemque ut eiusdem Cohortis Propraefectus in Conclavi, cui a Solio nomen, ultimo itidem loco admitteretur. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Roma, ex Sede Sacri Consilii caerimoniis praepositi, die 15 Maii a. 1958.

† Eugenius Card. Tisserant
Ep. Ostien. ac Portuen. et S. Rufinae, *Praefectus*

Beniaminus Nardone, *a Secretis*

Sacra Paenitentiaria Apostolica
(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DUBIA
(AAS I [13 dec. 1958] p. 973)

DE RECITATIONE RADIOPHONICA SACR.MI ROSARII B. M. V.

Sacrae Paenitentiariae Apostolicae dubia, quae sequuntur, pro opportuna solutione exhibita fuerunt:

1. Utrum fideles lucrari possint Indulgentias Rosario B. Mariae Virginis adnexas, si cum socio radiophonice tantum praesente illud recitent; et quatenus affirmative:

2. Utrum fideles praefatas Indulgentias etiam lucrari valeant, si Rosarium B. Mariae Virginis alternis recitent dum pars precum radiophonice transmittitur quae hic et nunc ab aliqua persona non recitatur, sed in disco vel filo sonoro aut alio instrumento antea impressa fuit.

Et Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 9 Maii 1952, propositis dubiis respondendum censuit:

ad primum: *Affirmative*; ad secundum: *Negative*.

Datum Roma, e Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 8 Octobris 1958.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior*

I. Rossi, *a Secretis*

INDULGENTIAE APOSTOLICAE

(AAS II [24 ian. 1959] p. 48-50)

QUAS SUMMUS PONTIFEX IOANNES PP. XXIII, IN AUDIENTIA INFRA SCRIPTO CARDINALI PAENITENTIARIO MAIORI DIE 22 NOVEMBRIS 1958 IMPERTITA, BENIGNE CONCESSIT CHRISTIFIDELIBUS, QUI ALIQUOD PIETATIS VEL RELIGIONIS OBIECTUM, A SE VEL A SACERDOTE POTESTATEM HABENTE BENEDICTUM, POSSIDENT AC PECULIARIBUS IMPERATIS CONDITIONIBUS SATISFECERINT.

Indulgentiae

1. Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis beatae Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus officii defunctorum, vel psalmos paenitentiales aut graduales, vel consueverit saltem semel in hebdomada aliquod opus ex illis peragere quae sub appellatione « Operum misericordiae » agnoscuntur, v. g. pauperes iuvare, infirmos visitare, rudes catechizare, pro vivis et defunctis exorare etc., vel Missae interesse, servatis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae Communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur *Indulgentiam plenariam* diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Domini eiusdemque Sacr.mi Cordis, Iesu Christi Regis, Purificationis, Annuntia-

tionis, Assumptionis, Nativitatis, Immaculatae Conceptionis, Maternitatis B. Mariae Virginis eiusdemque Immaculati Cordis, in festo B. M. V. Reginae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi Deiparae Virginis (19 Martii et 1 Maii), SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae atque Omnium Sanctorum.

Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis *partialem septem annorum* lucrabitur *Indulgentiam.*

Insuper quisquis aliquod ex praedictis pietatis vel caritatis operibus expleverit, quoties id peregerit, *partialem trium annorum Indulgentiam* adipiscetur.

2. Sacerdotes, qui nullo legitimo impedimento detenti quotidie S. Missae sacrificium celebrare consueverint, *Indulgentiam plenariam* festis supra memoratis consequentur, additis sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

Quoties vero ipsi Sacrum litaverint, *partialem quinque annorum Indulgentiam* acquirent.

3. Qui recitationi divini officii tenetur, obligationi huic obtemperans, *plenariam Indulgentiam* iisdem recensitis festis lucrabitur, servatis pariter conditionibus confessionis sacramentalis, sacrae Communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis.

Qui vero hoc peregerit saltem corde contrito, *partialem quinque annorum Indulgentiam* singulis vicibus adipiscetur.

4. Quisquis cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerit, orationem vulgo *Angelus Domini,* tempore autem paschali *Regina caeli,* aut, has preces ignorans, quinquies *Ave Maria* recitaverit; itemque sub primam noctis horam psalmum *De profundis* vel, si eum nesciat, *Pater Noster* cum *Ave Maria* et *Requiem* recitaverit, *partialem quingentorum dierum Indulgentiam* consequeretur.

5. Eamdem Indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et Morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverit.

6. Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, devoteque recitaverit semel *Pater Noster, Ave Maria* et *Gloria Patri* in honorem SS.mae Trinitatis, aut quinquies *Gloria Patri* in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, *trecentorum dierum Indulgentiam* lucrabitur.

7. Quisquis pro agonizantibus oraverit, pro iis *Pater Noster* cum *Ave Maria* saltem semel recitando, *partialem centum dierum Indulgentiam* adipiscetur.

8. Qui demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, rite confessus ac sacra Synaxi refectus vel saltem contritus, SS.mus Iesu Nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit et mortem de manu

Domini, tamquam peccati stipendium, patienter susceperit, *plenariam Indulgentiam* consequetur.

MONITA

1. Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentiis Apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae religiosae, sacra numismata, dummodo non sint ex stanno, plumbo, vitro conflato ac vacuo aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit.

2. Imagines Sanctorum alios ne repraesentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos.

3. Ut quis valeat Indulgentias Apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab Ipso Summo Pontifice vel a Sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat.

4. Ex expressa SS.mi Domini Nostri declaratione, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogatur Indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias forte concessis pro precibus, piis exercitiis vel operibus recensitis.

Datum Roma, ex aedibus S. Paenitentiariae Apost., die 22 Novembris 1958.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior*

I. Rossi, *a Secretis*

INVOCATIO AD IESUM CHRISTUM REGEM INDULGENTIIS DITATUR
(AAS LI [24 ian. 1959] p. 50)

SS.mus Dominus Noster Ioannes Div. Prov. Pp. XXIII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 6 Decembris vertentis anni concessa, benigne tribuere dignatus est *partialem trecentorum dierum Indulgentiam* a christifidelibus saltem corde contrito lucrandam quoties invocationem « *O Jésus, Roi d'amour, j'ai confiance en votre misericordieuse bonté* » devote recitaverint, necnon *plenariam Indulgentiam,* suetis conditionibus acquirendam, dummodo quotidiana invocationis recitatio in integrum mensem producta fuerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum e Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 12 Decembris 1958.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

I. Rossi, *a Secretis*

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE EVOLUTIONE LEGISLATIONIS ARCHIVISTICAE INDE AB APPULSU ACCEPTO A CONCILIO TRIDENTINO USQUE AD PROMULGATIONEM CODICIS IURIS CANONICI, HABITA PARTICULARI CONSIDERATIONE OPERAE EFFICACIS S. CAROLI BORROMAEI NECNON BENEDICTI P.P. XIII

SUMMARIUM: A. Brevis nota introductoria de facto ac scopo Concilii Tridentini in genere. B. De evolutione historica legislationis archivisticae in Ecclesia. I. De impetu initiali, a Concilio ipso dictae legislationi dato. II. De evolutione, coepta cum hoc impetu, a fine Concilii usque ad publicationem famosae constitutionis archivisticae *Maxima vigilantia* exclusive, scil. ad diem 13am iunii 1727. 1. De S. Pii V meritis pro re archivistica. 2. De Sixti V idea gigantica archiva secura ac centralia stabiliendi. 3. De S. Caroli Borromaei magna contributione ad rem archivisticam: a. mediantibus Conciliis provincialibus Mediolanensibus; b. ope visitationum apostolicarum usque in vix pervias regiones. 4. De Benedicti XIII opera forti ad evolutionem archivisticam, iam ante eius constitutionem *Maxima vigilantia* data. III. De tempore, incipiente cum die promulgationis memoratae constitutionis archivisticae usque ad festum Pentecostes anni 1917, diem promulgationis legislationis Codicis Iuris Novissimi, etiam relate ad archiva ecclesiastica (cc. 372-84). C. Legislatio archivistica Codicis Iuris Canonici est quidem iusta ac recta; sed est aliquantulum vaga atque

indeterminata, relinquens spatia logica pro ulteriore evolutione canonistica una cum progressu scientiae archivisticae.

A. Exeunte saeculo XVI Ecclesiae reformatione et in capite et in membris opus fuisse nemo est, qui in serium dubium vocare audeat. Patribus in Concilio[1] Tridentino per multos annos (1545-1563) adunatis hoc altum opus a Providentia Divina impositum fuit, cui admirabili zelo per tantum tempus incumbebant cuique tandem aliquando, decreta multiformia ac salubria, necessitatibus spiritualibus medentia, edendo, per virosque verae reformationis spiritu imbutos, inculcando atque in praxim deducendo, finem gloriosum imposuerunt.

Decreta viginti quattuor sessionum sedulo perlegenti sane mirum apparebit, quod pauca tantum necnon sparsim de cura archivorum ecclesiasticorum, de problemate absque ullo dubio serio non minus quam gravi ob ea, quae consequi possunt, dicta vel iussa fuerint. Profundius vero indaganti singulaque Concilii adiuncta perpendenti hac in re sese aspectus mitior tamquam solutio

---

[1] Nota statim ab initio singulas litteras initiales, sive sint capitales sive non, usui Codicis fuisse accomodatas, a quo usu nonnisi pro textibus e fontibus quibusdam adoptandis in sequenti tractatu recessum fuit, e. g. Episcopus, Concilium, Capitulum cathedrale, Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis etc. ex una parte et episcopalis, archivum dioecesanum, baptismus, confirmatio etc. ex altera parte.

Vide huius praxis rationes expositas in ipsius auctoris tractatulo « *De Codicis Iuris Canonici Litterarum Initialium Capitalisationibus earumque Interpretatione* » — *Ephemerides Iuris Canonici*, V (1949), num. 1, 31-43.

offeret. Si quis conditiones tortuosissimas, tempore Concilii vigentes, consideraverit ac sciverit praesentes indagines minime ad sessionum durationem limitari, sed includere quoque epocham post-tridentinam cum famosa Benedicti XIII (1724-30) constitutione *Maxima vigilantia*[2] non mirabitur, quod materia tractanda tres in phases logicas dispetita absolvetur: in tridentinam, post-tridentinam exclusa constitutione ac denique in ultimam, a dicta constitutione usque ad *Ius Novissimum* Codicis.

B. De evolutione historica legislationis archivisticae in Ecclesia, I. *De impetu initiali, a Concilio Tridentino ipso dictae legislationi dato.*

Generatim observare licet tempore, Concilio Tridentino immediate succedente, plura Concilia et provincialia et dioecesana in variis Ecclesiae et speciatim Italiae partibus habita esse manusque reformationi, nimium iam dilatae dudumque expectatae, appositas fuisse. Concilium enim, sollicitum problematibus urgentibus vitalibusque, generatim non poterat nisi trahere lineas tantum generales, quas Concilia particularia conditionibus localibus accommodare debuissent. Nihilominus

---

2 14 iun. 1727, *Codicis Iuris Canonici Fontes,* cura Emi. Petri Card. Gasparri editi, 9 voll., Romae, 1923-1939, n. 393 (Textus abbreviatus): (Abhinc simpliciter: *Fontes*), *Bullarium Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum,* Amplissima Collectio, 32 voll., Romae, 1733-62, v. XII, p. 221-25. (Abhinc in *Bull. Rom.* abbreviatum apparebit).

verum est alias quaestiones referentes ad reformationem saltem velut parvas synopses ad instar manualium practicarum elaboratas esse, illam vero archivorum ecclesiasticorum obiter tantum tactam fuisse. Ad difficultatem solvendam sufficiat haec in mente gerere: Concilii Patres non ignorabant inde a temporibus Imperii et Romani Occidentalis Latini et Graeco-Byzantini archiva — saltem infra limites vastissimi istius territorii — numquam prorsus vel tristissimis temporibus neglecta fuisse. Aliis et quidem crebris, maximeque urgentibus, problematibus adhuc pendentibus atque solutione indigentibus, quid mirum Patres illud archivorum utpote relative minus urgens tempori otiosiori attribuisse, saltem sicut perlectis sessionibus videtur factum esse. Solutioni quoque serviet haec consideratio historica: Solummodo minima pars discussionum Concilii in lucem prodierunt, longumque iter nos a luce plena eorum, quae acta ac dicta sunt in Concilio, separabit. Praepropere ergo iudicabit quisquis pertinaciter opinioni adhaerebit nihil in nostra quaestione ibidem factum fuisse. E contrario: Concilia particularia, de quibus supra brevis mentio facta est, unanimiter iisdemque fere verbis eidem sat amplum discussionum atque decretorum spatium dedicabant. Concilia Italiae meridionalis — quae hac aetate exemplo praeibant — traditionibus Graeco-Byzantinis a saeculis statutis quasi-instinctu ducta, etiam post Concilium Tridentinum decreta edidere, in quibus influxus vivus et inspirans Concilii non est denegandus. Etenim illa Concilia particularia subito post Patrum-Episco-

porum, fervore reformationis impletorum, reditum in suas dioeceses celebrata sunt. Ibi Episcopi perdifficilia problemata aggredi incipiebant nec quiescere volebant, donec mores in dies meliores fieri satisfacti cernerent. Inter horum Episcoporum agenda semper cura archivorum ecclesiasticorum explicitum praeeminentemque locum inveniebat. Conclusio nostra haec est: eosdem tam unanimiter hac in re — praesertim prae quaestionum abundantia — hisce in adiunctis agere, disserere atque decernere non potuisse, quin viva Concilii Tridentini Patrum voce corroborati in suum quisque districtum rediissent. Adoptabant pristinas leges, easdem amplificabant, modernos modos tractandi addebant, novos libros, spiritui reformationis adaptatos, tamquam elementa archivorum essentialia, in posterum in archivis scribi iubebant. Quae omnia absque inspiratione illius magni Concilii logice explanari nequeunt.

Hisce lineis generalibus iam praepositis, non est praetermittendum specificas — etsi paucas dumtaxat — a Concilio tractas atque adamussim uberiusque in praxim adducta fuisse. Id quod Concilium magnum, dato uno exemplo specifico, solummodo innuere valebat, hoc Episcopi clare suis subditis ad promovendam reformationem intentam ad imitandum proponebant. Exempla optime propositum praesentis tractatus illustrantia sunt haec: Concilium imponit parochis obligationem conficiendorum librorum matrimonialium:[3] « Ha-

---

[3] Stricte prae oculis habendum est matrimonia clandestina ante Concilium valida quidem, sed illicita, postea et invalida et

beat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat »[4]. Si Concilium nihil aliud decrevisset, dignum esset, cui scientia archivistica ecclesiastica paginam auream memorialem dedicaret. Inserendo namque in libris officialibus unum ex septem Ecclesiae Sacramentis illudque sic exponendo vigili oculi publici custodiae, via iniri coepta est ad eandem praestantiam aliis quoque Sacramentis, saltem iis gradus maioris[5], concedendam. Paulatim unum post aliud sacramentum suum quemque libellum accepit[6], ita ut ulterior evolutio eo pervenerit, ut hi libri primarii vel magis praestantes archivorum, utpote reflectentes vitam internam Ecclesiae atque mysticam unionem membrorum cum Christo, devenirent, libri vero prius unici indisputatumque in archivis locum dominantem occupantes secundarii evaderent, scil. inventaria possessionum materialium aut iura ac privilegia contra quosvis aggressores vel usurpatores ad evidentiam demonstrantia. Quae mutatio valorum eorumque aestimationum veraciter exprimit sensum profundissimum restaurationis vitae Ecclesiae internae ac propriae, intentae et adductae a Concilio Tridentino. Est omnino symbolus clarissimus evanescen-

---

illicita declarata fuisse, inde necessitas erorta est conficiendi librum matrimonialem.

4 Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 1, Decretum « de Reformatione Matrimonii », vers. fin.

5 I. e. Sacramenta momenti maioris in quantum sive nequeunt repeti sive conditionem duraturam statuunt.

6 Sunt sic dicti *Libri paroeciales*.

tis potestatis temporalis Ecclesiae post Medium Aevum, magis magisque substitutae per influxum potestatis spiritualis, supernaturalis, quod archiva eodem tempore evadant specula praeponderantiae spiritus supra materiam in Ecclesia.

In Concilio Tridentino occurrit paucis tantum verbis [7] facta relatio ad scripturas ad Ecclesiam pertinentes, pro quibus sede episcopali vacante capitulo incumbit responsabilitas. Novo Praelato « teneatur capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quae ad capitulum pervenerunt, rationem reddere » [8]. Quae verba ad quasvis chartas in archivis episcopalibus contentas referenda sunt, interpretatione quidem desumpta a novo spiritu, a Concilio Ecclesiae inflato.

Haec sunt fere omnia, quae de Concilio Ecclesiae maximo relate ad archiva ecclesiastica dici possunt. Absolutam fiduciam Patres Concilii in gremium virorum illustrium poterant habere, qui, zelo imbuti apostolico ad suas sedes (archi) — episcopales redierunt.

II. *De evolutione, coepta cum impetu Concilii, seu ab eiusdem fine usque ad publicationem famosae constitutionis archivisticae « Maxima vigilantia » exclusive, scil. ad diem 13am iunii* 1727.

Ea, quae Concilium prae munerum ac negotiorum abundantia non poterat perpetrari, viri apostolici ex hierarchia in Synodis, dioecesanis vel

---

[7] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 16, sub titulo « De Constitutione Vicarii, et Oeconomi sede vacante ad Capitulum pertinente ».

[8] *Loc. cit.*, vers. finem c. 16.

in Conciliis provincialibus, post unius, resp. trium annorum intervallum iterum atque iterum convocatis secundum Patrum tridentinorum sacram intentionem perficere impigre erant resoluti. Eorum legislationes via directissima ad efformandos Codicis canones ad rem (cc. 272-84) duxerunt.

Quod attinet ad archiva ecclesiastica, non solum spiritum ac mentem sed etiam ultimam textus formam legislatores *Iuris Novissimi* ad iisdem viris adoptarunt, id quod comparatione textuum vel obiter facta confirmabitur. Germina a Patribus Tridentinis eorumque successoribus in fervore et ardore apostolico sata nostris demum temporibus in medio furoris bellici A. D. MDCCCCXVIII in plenitudinem frctus excreverunt.

E serie *Paparum Reformatorum* duo bene de evolutione archivologiae meruerunt, scil. Pius V necnon eiusdem secundus successor, Sixtus V. Eodem cum ipsis tempore vixit S. Carolus Borromaeus (1538-84), Archiepiscopus Mediolanensis, qui praeclaro modo archivis ecclesiasticis cuiusvis generis stabiliendis vel renovandis contribuit; denique post unius circiter saeculi intervallum alia in caelo archivistico apparuit stella, scil. Franciscus Maria Orsini, *pauper et humilis,* qui, Papa electus, sibi imposuit nomen Benedictus XIII. Nutritus prorsus ideis reformationis tridentinae, S. Carolo Borromaeo a limine propinquus erat in genere, sicut eidem in rebus archivisticis devotissime erat deditus.

1. *De S. Pii V meritis pro re archivistica.*

Vix crederes fratrem mendicantem, filium S. Dominici, a vita orationis atque ascetica sicut pauci tantum absorptum, dotes suas in res vitae practicae, immo etiam publicae, cum successu adeo praestanti exserere scivisse sicut S. Pius V. Nonnisi magna cum admiratione atque commotione quis legere potest, quae historia de eius meritis eminentibus pro salvatione Occidentis christiani e manu Turcorum, totam Europam exercitibus invadere tentantium, annalibus fidei gloriosis confidit. Dotes praeclaras vires humanas ad unum finem dirigendi manifestavit principes dissidiosos ac potestates saeculares discordes ad victoriam Lepantinam (1585) de Turcis reportandam uniendo. Similes dotes, quamvis in phase laterali sui pontificatus, ostendit, in quantum archivis ecclesiasticis se devovit.

Sanctus Pontifex, notus tamquam zelosus exsecutor legum Concilii Tridentini, a limine praesumi debet etiam fautor archivorum ecclesiasticorum. Quamquam non cum ideis creatricibus, sicut suus secundus successor papalis, ad archiva ecclesiastica accessit, tamen ei competit haud exiguum meritum, Ecclesiae atque Camerae Apostolicae mediante prudenti administratione inventariorum possessiones ac iura ad eas salvare ac protegere scivisse.

Ut quis merita Pii V in re archivistica iuste interpretari possit, novisse debet tempus, quo sanctus Pontifex suo muneri inter conditiones difficil-

limas incumbere debebat. Archiva ecclesiastica quod attinet, nova exsurgebant impedimenta, quae summam Papae exigebant energiam atque prudentiam. Duplicis imprimis erant naturae obstacula pro archivorum recta administratione. Primo ea, sicubi existebant, parvam tantum praebebant securitatem. Documenta magni momenti disparebant, quin reditum in sua receptacula denuo invenirent. In Regno Duarum Siciliarum, citra et ultra Pharum, tempus sedisvacantiae dioecesis erat utilissimum ad impediendam iustitiam non desideratam. Novus Praelatus processus coeptos, sed non finitos, deficientibus probationibus per acta vix continuare valebat. Secundum, haud exiguum, obstaculum sese administrationi archivorum qua ecclesiasticorum opponebat: Spiritus novus saecularisationis vitae humanae, etiam publicae; id contingebat non tantum in terris novationis religiosae, sed sub influxu humanismi qua pagani etiam in sacra paeninsula italica. Ad evitandas inutiles continuas frictiones inter duas auctoritates, ecclesiasticam ac civilem, opus erat nitida separatione valorum, id quod immediate tangebat archiva. Magnae sancti Pii V prudentiae erat, quod suis bullis viam in rectum modum monstrabat. Non est ideo mirum, quod duo magni successores suffulti eius auctoritate in materia difficili exemplari, modo adoptandi bullis pianis, immo etiam vi earundem legislandi Sanctum humilem speciali agnitione distinguebant. Quibus expositionibus praemissis, ad singula transitus habeatur.

Tempore prior est bulla *Cum de literis,* 19 aug. 1568 [9]. Solutio per eam adducta, haud exigui debebat esse pro eo tempore et in circumstantiis regionis, quatenus compendia, inventaria, omnium scripturarum indices, tum ad Ecclesiam Romanam tum ad Cameram Apostolicam spectantia, confici constituit; quamvis formaliter ad Carolum Grassi, Archiepiscopum Montefiasconensem, directa fuerit, tamen erat indolis generalis pro Ecclesiae capite in toto: eiusmodi solutio indolis quidem fuit localis-regionalis, sed in futurum pro exercitio auctoritatis publicae fieri debebat auxilium universale, quando sphaera ecclesiastica ac civilis erant apparenter in conflictu. Non potuit exemplum concretum, quin facilem ac celerem inveniret imitationem ubique.

Idem Papa, per se naturae mitis, in exemplo iustitiae exercendae a. 1571 pro Regno utriusque Siciliae decisionem satis rigidam ac determinatam per bullam memorialem *Muneris nostri,* 1 mart. [10] dare non haesitavit. Non enim ignorabat sanctus Pontifex sede vacante iustitiae humanae ac legi naturali vim inferri, si acta iudicialia ac processualia non forent per archivum, clavium pluralitate ac loco securo, solide protecta.

A magno Sixto V, secundo S. Pii successore in supremo Pontificatu, protectio rerum ecclesiasticarum per solida archiva ecclesiastica non aliter sentita esse debuit; secus idem non in sua bulla

---

9 *Bull. Rom.,* v. IV, p. II, pp. 30-31.

10 *Ibid.,* v. IV, p. II, Contra Episcopalium Archivorum Sede vacante violatores observanda inculcantur. Pp. 299-301.

Non sine maxima, diei 27 apr. 1587 [11] illam sui sancti praedecessoris *Cum in literis* anni 1568 iterum attentioni universali proponere ac publici iuris facere maluisset. Ceterum ad eam rem infra sermo redibit.

Sed etiam per alteram bullam, scil. *Muneris nostri,* S. Pius V Benedicto XIII, uno ex tardioribus successoribus, ceterum de re archivistica sicut vix quoquam alio, optime merito, in memoriam Ecclesiae universalis iterum revocatus est. Hic etenim Pontifex, inculcando decreta Concilii Romani a. 1725, ab ipso habiti, relate ad bullam memoratam nihil maius dicere scivit nisi haecce verba notabilia: « Vigore autem Bullae S. Pii V, quae incipit: *Muneris nostri,* omnibus et singulis Episcopis districte praecipimus et mandamus, quatenus Archivalia Episcopalia perpetuo integra custodiantur, et, Cathedralibus Ecclesiis eorum viduatis, vicarii capitulares aliive gratia, odio, timore vel sordibus, quos velint, processus ac scripturas surripere vel lacerare non valeant ... » [12].

Bene notes S. Pium dictis bullis, iura ac proprietatem S. Sedis protegentibus, cum duobus Papis, de re archivistica optime notis ac meritis, peculiari modo connexum esse: cum Sixto V necnon Benedicto XIII-Orsini. Unde S. Pii V auctoritatem in linea evolutionis archivisticae ecclesiasticae minime praetermittendam esse patet.

---

11 *Ibid.,* v. IV, p. IV, « Contra non restituentes aut revelantes scripturas ad Rev. Cameram Apostolicam quomodolibet spectantes a Commissario eiusdem Camerae coercendos ». p. 300.

12 v. IV, p. II, pp. 30-31.

In parenthesi hic notetur S. Congreg. Concilii, litteris ad Episcopum civitatis Como 18 dec. 1626, eandem expressisse ideam circa ea, quae in archivis sint servanda [13]. Tracta fuerant in iis linea nitida inter negotia saecularia atque ecclesiastica, atque eo modo pacifica collaboratio inter utramque auctoritatem erat exspectanda. Quamquam instructio, his litteris data, indolis dumtaxat localis esse intenderat, tamen benefica pro Ecclesiae cum potestate civili relatione in futurum erat evasura; eius adoptatio ab aliis regionibus praevideri poterat. Quod revera accidisse scimus ex facto, quod Benedictus XIII qua Archiepiscopus eandem instructionem comensem sollemniter mediante titulo XV constitutionum Synodi Provincialis Beneventanae a. 1693 cap. III ad competentem provinciam extenderit. Qua Summus Pontifex eandem per tit. XII decretorum Concilii Romani a. 1725 cap. III ad regionem Romanam applicavit. Notandum est eum in ultimo casu instructionem comensem cum bulla piana *Muneris nostri* coniunxisse atque tali modo magnum momentum sancti Papae pro re archivistica eiusque progressu inculcare scivisse. Adhuc sollemnius robur *Papa Archivista* dictae bullae contulit, quatenus his verbis haud ambiguis usus est eius validitatem extendendo: « Vigore autem Bullae S. Pii V, quae incipit

---

13 *Bull. Rom.*, v. IV, p. II, p. 299. Cfr. etiam *Constitutiones Synodi prov. Beneventanae,* 1693 Tit. XV: *De fide instrumentorum, cap.* III - *Acta ac Decreta Sacrorum Conciliorum Recentium Collectio Lacensis,* 6 voll., Friburgi Brisg. 1870-82, v. I, coll. 39-40, necnon ad eandem rem *Decreta Concilii Romani,* a. 1725, Tit. XII, cap. III — *Coll. Lac.,* I, coll. 362-63.

Muneris nostri, omnibus et singulis Episcopis districte praecipimus et mandamus; quatenus Archiva Episcopalia perpetuo integra custodiantur ... [14].

2. *De Sixti V idea gigantica archiva secura ac centralia stabiliendi.*

Maioris momenti pro archivologia ecclesiastica evolvenda fuit pontificatus unius e maximis Pontificibus totius historiae Ecclesiae et speciatim temporis Post-Tridentini, scil. Sixti Papae V (1585-1590). Ipse enim creando Congregationes Romanas, gubernium Ecclesiae saeculari assimilavit et consequenter modum stabilivit, quo via administrativa documenta chartaeque publica oriuntur in variis Congregationibus, e quibus simili processu in deposita archivistica transeunt. Ante Sixtum administratio totius Ecclesiae consultationibus, Papa praesidium gerente, in gremiis praecipuis fieri solebat [15]; post ipsum vero Congrega-

[14] Etiam mentionem invenies in cap. III in coll. 39, resp. 362 famosarum lit. S. Congr. Conc. ad Ep. Comensem diei 18 dec. 1626. Eiusdem contenta sub titulo: «Quae sunt asservanda» invenies comprehensa in Mühlbauer, *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii,* 7 voll., Monachii, 1872-87, v. I, pp. 993/94. In fine textus legere licet: «S. C. C., 8 dec. 1626. *Comen.* Ex contentis hic praebeatur tantum pars significativa. «... Processus et acta civilia, criminalia et mixta facta in foro episcopali, sententiae in iisdem causis latae, compositionis cum reis requisitis, praecepta et decreta quaecumque inter personas ecclesiasticas aut etiam laicas in causis spiritualibus vel alios ad forum pertinentes, edicta cuiusvis generis ...» P. 993. Separatio modo simplici eo obtenta est, quod res mere spirituales ac mixti fori enumeratae sunt; quae omissa erant, spectarent ad iurisdictionem saecularem.

[15] Per famosam bullam: *Immensa Aeterni Dei omnium Opi-*

tionibus Romanis institutis, ministeriis saecularibus parallelis, praevalens onus Ecclesiae gubernii incumbebat, Pontifice solum circa negotia maioris momenti certiore facto et consultato. Speciatim mutata archivologia ecclesiastica, saltem pro Italia, suum spiritum, modernis progressibus apertum, manifestavit. Inter res ab eo reformatas in administratione generali Statuum Pontificiorum eminet illa nitida divisio negotia ecclesiastica inter et civilia, reflexum vehementem in archivis Romanis relinquendo [16].

Id quod summopere eius ingenio saeculari respondet, est idea, quae postea diversis vicibus repetita fuit et, quantum scio, solum in Statibus Unitis Americae Septentrionalis formam concretam accepit. Nam in ipsius mente consilium versum annum 1586 volutabatur creandi magnum depositum, in quo colligerentur inventaria omnium bonorum, iurium scripturarumque cunctarum ecclesiarum piarumque institutionum Italiae. Ergo nihil minus creare intendit quam archivum nationale, continens informationes circa thesauros immensos alicuius

---

fex, 22 iun. 1587, sec. quam quindecim Congregationes ad Ecclesiam regendam institutae sunt — *Bull. Rom.* v. IV, p. IV, pp. 392-93.

16 Cfr. quod de hac re iam sermo erat; Sixtus enim bullam *Cum de literis* Pii V cum sua *Non sine maxima* publici iuris fecerat. Eatenus venerat in coetum eorum, qui nitidam separationem inter valores ecclesiasticos ac saeculares pro archivis ecclesiasticis intendebant. Huc spectat quoque instructio comensis S. Congreg. Concilii. Sixtus sine dubio erat nimis intelligens, quam ut non tenorem sui temporis viderit ac medio aevo elapso progredientem saecularisationem potestatum civilium noverit. Cfr. paulo supra ratione meritorum S. Pii V pro archivis dicta.

terrae quae per duo millia annorum in centro culturae totius mundi steterat-[17]. Unde tale archivum revera iure meritoque archivum mundi universalis vocari potuisset, siquidem fere nihil in orbe, tunc noto, acciderat, quod non ibi tamquam in vitro, radios undequaque colligente, aliquo saltem reflexu apparuisset.

Illico meminimus aerarii, aetate Imperii Romani aurea, pace universali ab Augusto post tot bella stabilita, Romae ad uniendos thesauros immensos Imperii erecti. In loco summopere sacro ac tuto, scil. sub saxeis Capitolii clivibus inter templa Iovis ac Iunonis, archivum supremum Status refugium, quavis fiducia dignum, per multa saecula invenit. Felicia ea archiva, quae temporibus hodiernis similem locum protectum contra minas ac pericula « bombardamentorum » ac belli « atomici » suum vocare possent: in ipso patriae corde ac centro.

Ab aerario Capitolino Sixtum, imbutum ideis magnitudinis traditionum Romanarum, insuper dotibus ingenii praeditum, problema quoque archivi centralis in Urbe condendi vel renovandi concepisse est plus quam verisimile. In parenthesi sit hic additum simile consilium Napoleonis I Imperatoris (1802-14) Lutetiae Parisiorum stabiliendi receptaculum centrale pro omnibus valoribus archivisticis gentium, suae ditioni subditorum. Conditiones talis consilii non per meram fortuitam coincidentiam erant eae, ut ad archivum universale adige-

---

[17] Aerarium, pars inferior Capitolii, passim ex historia notum.

rent: Napoleon vivebat in ideis Reipublicae antiquae Romanae, quam in variis rebus imitari satagebat et qua persona individua ingenialis in terminis globalibus suam quaerebat satisfactionem [18]. Malo fato acquisitio ac transportatio depositorum particularium non absque cruda vi ac violatione iurium humanorum facta erat.

Ex inopinato Sixtus ab idea peramata destitisse videtur. Quod de re notum est, nonnisi ex magni Papae admissione nimiarum difficultatum, operi gigantico archivi centralis scimus: « Quod nuper in erectione Archivi generalis ecclesiastici ... per universam Italiam constituta recondere et in Palatio nostro Apostolico asservare meditabamur, rei difficultas satis aperte monstravit » [19]. Unum pro certo scimus Sixtum V motu proprio *Provida Romani*, 29 apr. 1587 [20] inventaria bonorum atque iurium confici eademque secure conservari *omnibus* Italiae ecclesiis piisque locis iussisse. Anno sequenti, brevi memoriali 20 iul. 1588 « Regularium personarum » [21] eandem ideam iterum expressit, sed tantum ad casum specificum applicavit, quatenus Congregationes monasticas pro omnibus suis domibus deposita singula collectiva et quidem monasterio in Urbe sito habere [22].

---

18 *Napoleon* (The Cambridge Modern History, v. IX), Cambridge, 1907: Pariset, « France under the Empire 1804-14 », p. 120.

19 Pallottini, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum*, 16 voll., Romae, 1867-92, v. II, p. 496, motu proprio, 29 apr. 1587.

20 *Coll. Lac.*, v. I., coll. 416-17.

21 *Bull. Rom.*, v. V, p. I, pp. 13-15.

22 Hoc valet pro: Congregatione Cassinensi, Olivetana, La-

Quae solutio continet ultimum reflexum intentionis Sixti quoad depositum generale por tota paeninsula Italica. Forsitan, per experimentum hoc, in monasteriis instituendum, initium ulteriorum hac in via faciendorum passuum praefigurare voluit. Nam numerus annorum eius Pontificatui a Providentia assignatorum erat brevissimus neque quisquam vel opinari potest, quanta, etiam in nostra materia, mira fortitudo huius Papae, longaevi in Pontificatu, adhuc perficere potuisset. Valde interest studiosorum scientiae archivisticae, quomodo Sixtus cum problemate quodammodo luctatus erat: modo ideae archivi centralis adhaeret modo eam — ex rationibus quidem sibi externis — omittit modo viam incedit intermediam, sicut exemplum archivorum centralium pro Ordinibus religiosis saltem demonstrat. Ideam ipsam vero ex eius mente non cessavisse ex verbis modo citatis facile colligitur.

Verum archivum centrale, quod principium provenientiae reconciliet cum alio collectionis in uno depositorio, recentissimis demum temporibus reservatum erat. Exemplum Washingtoniensis Archivi Nationalis Foederalis sine dubio scholam faciet: ibi principium provenientiae observetur exactissime eatenus, quatenus unitates singulorum Ministeriorum Gubernii, sicut in viva administratione ortae ac natae sunt, qua tales immigraverunt in Archivum centrale, ibidem mansurae nitide separatae ab unitatibus reliquorum Ministeriorum;

---

teranensi, Camaldulensi, S. Petri in Vinculis, Cruciferorum, S. Salvatoris in Lauro et S. Georgii in Alga. *Loc. cit.*

principium provenientiae non observatur et quidem ex solidis rationibus periculi dispersionis vel destructionis obiectorum archivalium, quatenus chartae ac documenta e loco nativitatis in securum receptaculi centralis sunt transplantata. Solutio ad instar « ovi Columbi » saeculo nostro demum contigit.

Sine dubio magnae Sixti V cedit laudi, quod ideam in se sanam saltem abstracte habuerit ac coluerit. Inspiratus quidem erat ex altera parte a loco aerarii Capitolini cuius aspectum physice semper prae oculis habebat in Urbe. Ex altera parte Baronii *Annale*s magnum Papam comitabantur per historiam ac traditiones Romanas, speciatim quod attinet archiva, inter quae praestat aerarium Capitolinum [23].

Optimus symbolus operis, cui hic viribus vitalibus imbutus, fortiter regnans velut gigas quasvis tum spiritus tum corporis vires devovebat, est obeliscus magnus, qui ab eodem a loco, ubi testis ludorum crudelium circi Neroniani fuerat, dimotus et in medio ante Basilicam S. Petro dicatam collocatus fuit [24]. In lapide supposito litteris capitalibus inscriptum et usque ad nostros dies insculptum illud programma praefulget secundum quod magnus Sixtus in omnibus — etiam in materia archivorum — ideale artium perennium cum spiritu Tridentino reconciliando mundum Catholi-

---

23 *Reallexikon für protestantische Theologie und Kirche*, 24 Bde, Leipzig 1896-1913, Bd. III, sub « Das päpstliche Archiv », p. 792.

24 Vide Pastor, *op. cit.*, v. X, pp. 457-60; 463.

cum gubernabat. Genti ab ipso moderatae sapienterque reformatae non minus quam gentibus, futuris quid Sixtus intenderit, verba annuntiant:

« Christus vincit
Christus regnat
Christus triumphat ».

3. *De S. Caroli Borromaei magna contributione ad rem archivisticam.*

Vix unum ex variis Concilii Tridentini decretis in Italia tantam oboedientiam ferventem invenit quantam illud de Conciliis datis intervallis secundum certam regularitatem convocandis [25]. Passim ibidem in maxima frequentia tales sacri coetus locum habebant, ut « prae multitudine arborum silvam vix quisquam amplius videre valeret » [26]. Hoc in gradu adhuc altiore in S. Caroli qua Ărchiepiscopi Mediolanensis regionibus iurisdictionalibus observare licet. Ipse sane, qui cor et anima continuationis Concilii interrupti, immo spiritus rector ipsius Concilii, passim consideratur [27], sine

---

[25] Ad rem vide ulteriora apud: Louis, *Diocesan Archives, a historical synopsis and commentary,* The Catholic University of America, Canon Law Studies, No. 137, Washington D. C., 1941, pp. 28-34.

[26] Cfr. proverbium Germanicum: « Vor lauter Bäumen den Wald nicht sehen ».

[27] I. e. saltem mediate atque indirecte, scil. vitae sanctitate, quodammodo reformatione incarnata. Sed videtur maior Sancti influxus ac propinquior decretis oriundis fuisse: per ipsius namque manum totum ad delegatos Concilii commercium litterarum Papae se evolvebat; nullum proinde exstat dubium, quin suum spiritum sanctae reformationis indesinenter cum responsis tradere

dubio non ignorabat, quantopere a sacris Synodis ac Conciliis localibus pro executione reformationis tridentinae dependeret, zelo indefatigabili in ea re flagrabat. Unum Concilium Mediolani aliud secutum est. Vix portae Tridentini Concilii clausae erant, cum S. Carolus, fervens Archiepiscopus Mediolanensis primam synodum convocavit, quam usque ad a. 1582 sex [28] secutae sunt. Propter inti-

---

consueverit. Consulta ad rem ulteriora penes famosum Paparum historiographum, L. Pastor, in eiusdem opere: *Geschichte der Päpste*, 1-7. ed., 16 voll. Freiburg i. B., 1926-34; e. g. v. VII, p. 147: « Instructiones Borromaei dierum 25 et 26 maii 1560 ad nuntios Vindoboni ac Matriti Ispec. quoad Concilii continuationem I sonabant valde determinatae » (transl. propr. auctoris). Cfr. etiam *ibid.* pp. 88, 89, 91, 95-96, 97-98. Novissima ed. cyclopediae *Lexikon für Theologie und Kirche* (*LThK*) Freiburg i. B., 1957 -, II (col. 1958), in art. Jedin, *Borromäus, Karl,* recte inculcat influxum Sancti mediantibus epistolis officialibus ad Delegatos Concilii, sed aliquantulum eius activam in Concilii evolutionem nimis debilitare videtur. Claram in re linguam loquitur unus ex testibus ocularibus in processu ordinario S. Caroli, scil. D. Antonius Fornero, ergo sub iuramento deponit: « ... Mi ricordo che il Beato Carlo sollecitava molto il Papa che facesse finire il Concilio di Trento, e finalmente per *causa sua et per sua opera* fu finito et conchiuso come intesi dire allora ... » — D'Alessandri, *Atti di S. Carlo riguardanti la Svizzera e suoi Territori,* Documenti Raccolti Dalle Visite Pastorali dalla Corrispondenza e dalle Testimonianze nei processi di Canonizzazione in occasione del terzo centenario della canonizzazione del Beato 1610-1910, Locarno, 1909 (dalla Bibl. Obl. S. Sepolcro, Milano), p. 2, 2. col. (Abhinc apparebit ut: D'Alessandri, *Acta di S. Carlo*); quod attinet magnum atque immediatum Sancti in gravia quoque negotia influxum, haec legere licet in depositionibus eiusdem testis ocularis: « Nel tempo che il B. Carlo era a Roma, nepote di Papa lui trattava i *negozi principali* della Chiesa (inter quae maximum eo tempore sine dubio erat Concilium Tridentinum). Il Cardinale Borromeo era il più caro (al Papa) e come il suo occhio diritto » — *Ibid.*, p. 2, 1. col.

28 Scil.: annis 1560, 1565, 1566/69-1572-75, 1576, 1579 ac de-

mam Sancti cum magno Concilio relationem eiusdem Synodi possunt absque exaggeratione eiusdem continuatio viva atque organica vocari vel melius eius interpretatio authentica haberi. Ipse sine dubio earum inspirator considerandus est.

---

nique 1582. Accedunt Synodi dioecesanae Mediolanenses, quae decreta provincialia ad singulos casus ac conditiones in concreto applicabant. Utiliter consulta duo volumina, indicibus bene ad facilem usum munita, operis: *Acta Ecclesiae Mediolanensis, a S. Carolo condita, Federici Borromaei iussu collecta et edita,* Bergomi, 1738, quae editio Federici Borromaei numerationem unicam, currentem per duo volumina, elegit; numeri sub a. etc. additi referunt ad textum Conciliorum Mediolanensium. In indice rerum — sine paginatione — sub *Archiv(i)um* praeclarus ac concinnus datur archivologia S. Caroli cum valoribus a sancto hoc reformatore inculcatis. Mediantibus illis numeris regressus ad respectivum Concilium Provinciale est celer ac facilis. Auctor, decursu tractatus semper forma usus « archivum » loco « archivium », proprio marte modum mediolanensem in re exigui momenti uniformitatis causa mutavit. Usus est vol. 36 operis gigantici 37 voll., scil. *Conciliorum omnium generalium et provincialium collectio regia;* Parisiis, 1644. (Eandem generatim invenies sub abbreviatione nota *Conciliorum editio regia*). Nota hic bene Federicum Borromaeum (1564-1634) fuisse S. Caroli vitae sanctitate, caritate ac zelo tridentino magnum aemulatorem. In memorato opere *Acta Ecclesiae Mediolanensis* invenies iam Conc. prov. VII a. 1585 ab ipso habitum probans spiritum reformatoris in ipso flavisse vehementer. Veritatis historicae causa notes quoque eum fuisse Sancti patruelem, non nepotem, sicut celeberrimus vult Pastor, *op. cit.,* v. X, p. 174. Cfr. ad rem, quae habet Galbiati, *Albero genealogico della famiglia principesca Borromeo di Milano,* Milano, 1925, Tavola III; vel idem in biographia: *Federico Borromeo studioso umanista e Mecenate,* Milano, 1932, p. 1. Malo fato error memoratus, apparenter innixus auctoritate gigantica saecularis historiographi Paparum nondum est mortuus, velut in novissima editione encyclopediae Herder 10 voll., Freiburg i. B., 1952-53, *Borromeo, I Carlo,* v. II, col. 205; 2. *Federigo,* l. c. Eundem errorem renovat hisce diebus etiam encycl. Germanica *Der Grosse Brockhaus,* 12 voll. Wiesbaden 1952-59, *Borromeo, ... Carlo,* v. II, p. 256, 2. col. supra.

a. Mediantibus Conciliis mediolanensibus rem archivisticam promovit.

Operae erit pretium hic parvam praebere analysim decretorum, provenientium e variis Synodis mediolanensibus, in quantum tangunt materiam archivisticam. Similia Concilia particularia, abhinc celebrata, plus minusve secuta sunt exemplum mediolanense; consequenter secundum modum eam ibidem tractandi erunt interpretanda. En principia praestantia quoad archiva, Mediolani clare elaborata:

a.' « Archivum Episcopale seu Cathedrale (37) « Archivum Capitulare in singulis Ecclesiis collegiatis constituendum ». (37) « Archiva in singulis Plebibus vel Vicariatibus constituenda ». « unum vel plura archiva in sacristia Plebis, & Ecclesiis imprimis insignioribus illius Plebis ... in quibus Archivis redigant omnes scripturas Ecclesiarum inferiorum ». (665). « Archiva in Seminariis » habeantur « bonorum ac iurium eorundem ». (952).

a.'' Principio *securitatis* servit duplicitas clavium. « Ecclesiae Cathedrales, collegiales duas claves habeant », (37) quae in diversis manibus, ab invicem independentibus sint repositae.

Praxis duarum clavium abhinc valebit tum pro casu archivi simul episcopalis et capitularis tum quando capitulum proprio gaudeat archivio (duobus canonicis in hoc ultimo casu alterutram clavem possidentibus). Sicut et inventarium duplicitas clavium cum duobus diversis possessoribus primo aspectui ut violatio mutuae caritatis seu fiduciae appareret; maturius vero ac profundius

rem perpendenti decreta mediolanensia beneficium haud exiguum habenda sunt, quippe quae a limine possibilitatem suspicionis excludant. Mutatis mutandis idem principium, ad duas diversas claves quod attinet, pro tempore vacantiae sedis, clavibus nunquam in una eademque manu unitis, valorem retinet.

a.''' Principio *claritatis* possessionis serviunt imprimis inventaria, dubia ac dissidia a limine excludentia. Iterum ac saepius in Conciliis ac Synodis Mediolanensibus sermo ad eadem in variis conditionibus recurrit; non est hoc mirum, quoniam duplici serviunt possessioni tum physicae cum morali-iuridicae. Quibus praemissis ad singula descensus fiat: « Inventarium bonorum ecclesiarum ac piorum locorum sitorum in singulis parochiis » (665) custodiantur vel erigantur. Quotannis inventarium renovetur, additis documentis novae originis vel iunctis aliis quondam ex eo dispersis. (37) Inventaria in duplici copia conficiantur, quarum alterutra Episcopo tradatur; eandem durantibus suis visitationibus pastoralibus secumferat, ut secure statum iurium ac possessionum ecclesiasticarum examinare ac dato casu ad conditionem pristinam restabilire valeat. (467) Quaestionem inventariorum S. Carolo medium serium reformationis fuisse iam ex modo expositis liquet et adhuc magis patet, si eius itinera prae oculis habeas.

a. '''' Peculiari mentione sunt adhuc digna: Instructio visitatorum (665), eo cum fine composita ac visitatoribus est tradita, ut inspectio efficax ac

solida in profectum salutis animarum peragi queat. Non est ideo ullo modo mirum, quod in visitationibus — pro praesenti tractatu illis in Dioecesim Bergomensem necnon in cantones Helvetiae Foederatae habitis, — puncta hic obiter tacta occurrant. Speciatim hic interest « Baptizatorum tempore pestilentiae liber » (89) necnon « Liber Bullarum Summorum Pontificum » (89); qui duo libri sine dubio in particularem archivorum custodiam sunt traditi.

Id quod ante omnia prodit spiritum novum Ecclesiam implere incipientem est hoc: Libri conservandi sunt abhinc pro collatis sacramentis baptismi, confirmationis, matrimonii, praeterea pro statu animarum, qui exactissime conficiendi et praeter reliquos libros quotannis a parochis Curiae tradendi sunt. Pristinis Ecclesiae bonis non quidem eliminatis, sed in subordinatum aestimationis locum relegatis, tempora primitiarum christianarum rediisse videntur. Illico reminiscimur historiae S. Laurentii Martyris[29] iussi tradere thesauros Ecclesiae persecutorique ostendentis catervas pauperum Christianorum in eius oculis veros fidei thesauros. In armariis abhinc resplendet longa series librorum, in quibus scripta sunt nomina eorum, qui per baptismum tamquam membra, per chrismatis unctionem in confirmatione ut milites, perque matrimonii ligamen conservatores corporis Christi mystici ab Ecclesia habentur. Qui libri materiales sunt nonnisi symbolus illius libri

---

29 Vide *Breviarium Romanum,* Vol. aestivum, Festum S. Laurentii, die 10a mensis augusti, 2. noct., 4. lectio.

Apocalypsis [30] in quo nomina electorum fulgebunt. Liber de statu animarum hanc librorum seriem concludit dando conspectum concinnum religiosae vitae communitatis.

Quae linea principiorum totam archivorum seriem (praeter archiva relata locorum piorum, decanatuum seu vicariatuum foraneorum), pervadunt, considerato peculiari instituti individualis charactere.

Maximi momenti est provisio pro inventariis durante quavis visitatione canonica facta et quidem triplici exemplari, uno ecclesiae rectori secundo archivistae dioecesano et tertio cancellario episcopali destinato. Tali modo in futurum quaevis negligentia in redigendis vel conservandis archivis chartisque in iisdem contentis praeclusa erat.

S. Carolus, non obstante multitudine negotiorum in visitatione peragendorum, curam archivorum in districtis sibi commissis minime oblitum esse bene novimus. Etenim in catalogo, a primo Concilio Mediolanensi exarato, pro quaestionibus occasione canonicarum visitationum proponendis sic legimus:

« An ecclesiae libri, vetera scripta, instrumenta et privilegia custodiantur ».

« An eorum extet ratio, quae in inventarium relata sunt ».

« An libros, quos nos in hac Synodo habendos praescripsimus, habeant ».

Sub titulo: « De diligentia ab episcopo adhi-

---

30 Cfr. Apoc. V, I; VII. 1-8.

benda in statu uniuscuiusque parochiae cognoscendo » legimus : « Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, quae in parochia fiunt, nomina et cognomina quamprimum describat, singulorumque sexum, aetatem et statum. In eo deinceps describat et recenter natos et mortuos et in parochiam habitatum venientes, et inde emigrantes. Quem librum episcopo, quoties is petierit, vel inspiciendum vel describendum dabit » [31].

Ex his omnibus, de re archivistica in Synodis ac Conciliis mediolanensibus tractatis ac statutis, clare elucet numerum librorum paroecialium simpliciorem evasisse, ita ut iam ad numerum hodiernum, eum anticipando, fere attigerit.

Synodos ac Concilia S. Caroli cordi, ut practica executionis media reformationis tridentinae, summopere cara fuisse iam ex eo liquet, quod eadem frequenter et in certa regula post data intervalla convocaverit; ex factis sane colligitur ad argumenta!

Sed magis directe ad eandem observationem pervenitur, quando quis ea acta legerit, quae describunt summam S. Caroli operam in sacerdotibus ad participationem adigendis. Omnibus revera mediis ex vel dissitis vallibus eos Mediolanum venire fecit sive eos e cura animarum pro tempore Synodi liberando atque sacerdotes substitutos iis determinando sive egentibus hospitium in proprio palatio archiepiscopali vel alibi offerendo. Ut omnes sacerdotes lectiones in Synodi acceptas redeuntes secumferrent atque doctrinas auditas in

---

31 *Conciliorum editio regia*, v. 36, pp. 60 et 64.

vitam cotidianam paroeciarum vel communitatum collegialium transplantarent [32], erat magnum Sancti desiderium; inter res in futurum in praxim deducendas eminent fundationes vel continuationes sub aspectu tridentino archivorum atque inventariorum, prout Mediolani secundum paulo supra exposita edocti fuerant.

b. Ope visitationum apostolicarum usque ad vix pervias regiones ideas reformatrices tridentinas diffudit atque inter eas non ultimo loco illam archivorum stabiliendorum ac bene custodiendorum.

---

32 « Per eseguir la mente del Sacro Concilio di Trento habbiamo risoluto di fare il Sinodo Diocesano alli quattro del mese seguente ... acciò le anime (dei preti) non restino ... senza qualcuno che le soccorra ne' bisogni suoi spirituali, habbiamo scritto alli due padri priori dei monasteri dei frati di Bellinzona che ricercandoli voi in nome nostro si contentino che alcuni de' suoi frati venghino per questi pochi giorni del Sinodo a fare l'offitio della Cura *in luogo dei Curati* che *veniranno a Milano al Sinodo* ... vedrete ancora di avere dei preti ... fuori della nostra diocesi ... per deputarli anch'essi a fare la cura delle anime ... fate una congregazione, alla quale *ogni Curato* venghi bene *instrutto* per quello che *tocca la sua cura et* oltre habbiate ancora una *istruzione* appartata *in scritto* ... » S. Carolus ad vicarios in Biegno et Riviere et Levantina, die 14 iul. 1568 — D'Alessandri, *op. cit.*, p. 95. Ceterum tota epistola spirat animum pastoralem tridentinum eiusque diffusionis. « Nel tempo delle Sinodi diocesane alloggiava in casa et faceva le spese alli Sacerdoti poveri et delle montagne et Valli lontane da Milano, ... et altri simili luoghi et poveri, alli quali sacerdoti spesse volte, oltre il mangiare provvedeva ancora de vestimenti, perchè comparissero vestiti decentemente ... I preti delle Valli in tempo de Sinodi erano alloggiati in arcivescova ... Lo stesso ... (avveniva) per i vicarii Foranei ... » *Ibid.*, p. 98, 2. col. Ceterum totus contextus est dignus lectu ac citatu ad magnam omnium aedificationem.

Alterum medium, quo S. Carolus ideis tridentinis ad victoriam de potestatibus adversis reportandam enixe contribuit, erant eius visitationes apostolicae. Quas in regiones diversissimas instituit non abhorrens ab arduitatibus climatis vel naturae. Quattuor visitationibus peragrabat regiones Bergami, Bresciae, Cremonae ac Vigevani [33]. Decem itineribus, inde ab anno 1567 ad annum 1584 in Cantonibus unionis Helvetiae, in valles vel absconditas atque obscuras alpestres penetravit, ibi passim lumen verae reformationis fidei ac morum christianorum accendens; quorum in secundo peragravit partes Helvetiae idiomatis Germanici usque ad ipsos confines Regni Germaniae, unde spiritus antitridentinus utpote e Lutheri (1483-1564) patria, flabat [34]. Ibi spargere semen renovationis tridentinae intentioni S. Caroli eo magis fuit consentaneum, quod die 27 nov. 1582 a Grego-

---

33 Bono fato et per casum fortuitum archiva archiepiscopalia mediolanensia, pro scopo alio inspecta, secreta prodiderunt, quae pro S. Caroli activitatibus evolutis in istis regionibus sunt immensi valoris. Agitur quidem dirtcte tantum de Sancti visitationibus a. 1575, in dioecesi Bergomensi peractis; sed de reliquis dioecesibus memoratis propter conditionum similitudinem vix aliud dicendum est, speciatim, cum de visitationibus ibi habitis verbalia existant. Ad rem consulta: RONCALLI A. J. (Joannes XXIII f. r.), *Le visite apostoliche di S. Carlo Borromeo a Bergamo*, 2 voll. in 5, Firenze, 1936-57, I, 1 in Introductione, p. XXIX et XXIX/XXX. Ceterum hic notes dictum opus voluminosum seriei « Fontes Ambrosiani » insertum fuisse ibique sub numeris 13-17 apparere.

34 Vide ad rem ulteriora apud: CODAGHENGO A., *Storia religiosa del cantone Ticino*, 2 voll., Lugano, 1941-42, v. I, p. 119-25; quoad iter in regiones idiomatis Germanici: pp. 122-23. Opus magni valoris huc quoque spectat: D'ALESSANDRI P., op. cit., pp. 156-61.

rio XIII cunctarum dioecesium Helveticarum visitator apostolicus cum plena iurisdictione ac responsabilitate nominatus fuerat [35]. Nonnisi magna cum admiratione, animi commotione ac compassione legere valemus descriptiones itinerum in interiores partes Alpium Helvetiae [36] atque involuntarie meminimus S. Pauli missionarii atque Apostoli Gentium, pro quo omnia in mundo stercora erant praeter Christum ac renovationem in eo.

Quibus in itineribus apostolicis Sanctum problema quoque archivorum tractavisse vel saltem tetigisse a limine praesumi potest, cum illud inter curas Concilii numerandum sit. Sed in via praesumptionis minime sistere debemus, cum quaestio-

---

35 D'Alessandri, *op. cit.*, p. 321.

36 Cfr. depositionem Fornaro, testis process. ordin. canonizz.: « Da Milano a Biasca: ... arrivassimo di giorno al Ponte della Tresa et da ivi andassimo di notte il resto del viaggio sino a Biasca, passando il monte Ceneri, il quale per stagione fredda, et per l'alterra del monte era tutto coperto di neve et le strade tutte agghiacciate et la notte era talmente oscura ... onde non potendosi andare a cavallo per quel monte per il gran ghiaccio, andassimo a piedi et ne conveniva andar a gattone con le mani in terra a quattro piedi et io vidi arrivati che fussimo a Biasca che il Signor Cardinale aveva quasto tutto le mani per essersi aggraffato ne caminar cosi a quattro piedi al ghiaccio et per l'asprezza del freddo di quella notte, essendo solito andar sempre con le mani ignude senza maniccia et senza guanti per gran fre(!)o che fosse ... nel far dell'alba fece sonar la Campana et dar il segno della sua venuta et tutti quelli sacerdoti ... ebbero la sua venuta una cosa miracoloso ». *Ibid.*, p. 228.

Depos. test. canonizz. 49: « Al guado tra Biasca ed Iragna: ... quando fossimo giunti alla riva del Ticino che allora era torbido et rapace per le grosse piogge che erano venute io dissi al Cardinale che non si poteva passar, et avendomi risposto che ad ogni modo voleva andare, ... » *Ibid.*, p. 283-84.

nes investigantes, a sancto visitatore propositae, claram atque ad rem loquantur linguam.

Eiusdem cura de archivis imprimis indirecte quidem, sed tamen vere ex eo elucet, quod iterum ac saepius ratione inspectionis recurrat quaestio de statu inventariorum paroeciarum vel ecclesiarum cuiusvis generis. Bene animadvertendum est conceptum « inventarii » esse correlatum illi « archivi ». Inventaria nullius sane essent valoris, nisi ipsa in tuta essent custodia. Quadocumque igitur S. Carolus de existentia seu contentis inventarii indagines instituit, implicite supponitur eiusdem naturale receptaculum, quod est nihil aliud quam archivum, in tuto loco collocandum.

Abundantem ad rem materiam praebet historia visitationum, a S. Carolo in Dioecesi Bergomensi a. 1575 exactissime secundum principia tridentina institutarum, ratione quarum uberrima inventaria cum longa serie singulorum obiectorum in lucem prodierunt. Speciali hic sunt digna mentione inventaria, enumerantia obiecta cultus divini, veluti pretiosissimorum paramentorum, calicum atque cultus obiectorum secundum valorem vix aestimandorum, altarium, thesaurorum artis christianae. Per multas paginas enumerationes currunt, sic magnum inventariorum momentum demonstrantes [37].

---

37 En aliquot exempla praestantia e magno numero inventariorum, decursu voluminum allatorum penes: RONCALLI, *op. cit.*, *Inventario degli arredi sacri, appartenenti alla Cappella Colleoni della magnifica Pietà di Bergamo*, v. I, 1, pp. 375-80; continet hoc inventarium enumerationem longam atque exactam obiectorum pretiosissimorum, ad dictam capellam spectantium. Quod adhuc

Exstat vero via multo magis immediata, quae curam indesinentem sancti visitatoris Apostolici pro archivis ecclesiasticis manifestare valet. Hucusque expositis claruit S. Carolum omni diligentia ac sollicitudine visitando confectum esse inventarium seu collectionem documentorum ad probanda iura possessionis ecclesiasticae, pro qua silentiose seu implicite receptacula tuta supponebantur.

Quoad haec receptacula cura eius imprimis versabatur circa eorundem securitatem, quam inventariis praebere debebant. Quodsi ingressus laterales vel plus minusve privati detegebantur, statim Sanctus secus mitissimus ad vituperium promptus erat. Zelum particularem ostendit in quaestione de clavibus ad archiva aperienda. Non erat satisfactus, si una dumtaxat clavis pro rebus maioris momenti praesto erat, sed requisivit duas diversas, diversis quoque in manibus retentas. Quodsi una quidem exstabat clavis, sed in manu personae officialis vel ut notarii custodita ac proinde non absque debitis cautelis tradi solita, neque hanc tolerabat solutionem ut satisfactoriam.

---

valorem huius inventarii auget, est haec notarii animadversio in fine facta: « Die jovis mensis iunii 1575 revisa fuerunt per me notarium insuper praedicta omnia bona ut supra descripta ... » *Inventario degli arredi appartenenti alla chiesa S. Maria Maggiore al tempo della visita del Card. Carlo Borromeo a. 1671*, pp. 334-54. *Inventario degli arredi sacri della Parrocchia di S. Alessandro della Croce (Scuola del Corpus Domini)*, v. I, 2, pp. 337-42; *Inventario degli arredi sacri appartenenti alla chiesa parrocchiale*, pp. 173-84; *Inventario degli arredi appartenenti alla chiesa parrocchiale di S. Alessandro in Colonna*, pp. 185-88. DOCUMENTI: *Elenco dei beni della Prebenda di Berzo S. Fermo e della Misericordia*, adi 15 set. 1574, v. II, 1, p. 649.

Ex actis visitationum, in quantum hucusque quietem archivorum mediolanensium vel aliorum reliquerunt, intentionem S. Caroli visitantis talem fuisse, satis liquet.

Claram ad rem linguam in Congregatione cleri a Cresciano summarium ordinationum pro tribus vallibus trium cantonum in Helvetia observandarum loquitur: sub n. 14 ibi inculcatur, ut iura temporalia ecclesiastica in libris bene, nitide separata, conscripta serventur; deinde ut etiam in paroeciis parvis aliqua species securae librorum relate ad iura ac possessiones custodiae seu archivi duabus, immo tribus clavibus demum aperiendi, habeatur; una clavis penes curatum, secunda apud ecclesiae curatorem, denique tertia in manu unius ex consulibus localibus custodiatur. Quam ordinationem ab ipso S. Carolo esse subsignatam bene prae oculis habendum est [38].

---

38 Ordinationis memoratae n. 14 hoc modo incipit: « Per conservare i diritti e rendite della Chiesa... vedendosi che li libri delle chiese o delli anniversari o vero urbani si trovino in questo tempo parte imperfetti o mancanti... che si debba di tali urbari o veri libri delli anniversari ed altre antiche scritture estrarre tutto ciò che sia possibile e che si faccia in ciascuna Chiesa parrocchiale uno di nuovo nel quale sieno registrate distintamente e separatamente le rendite di quella Chiesa... e tal registrato urbario libro delli anniversari... debba essere custodito nella sacrestia in *una cassa* almeno sotto *due diverse chiavi*, de' quali l'una debba havere il Curato e l'altra li Curatori della Chiesa, e la terza (se così troverà uno expediente) uno delli Consoli, sotto le chiavi debbano anche essere serrate altre scritture che si potrà raccogliere aspettanti alli anniversari, lemosine ed alla Chiesa come sopra, delle quali tutte debbono loro fare un registro per il prossimo Natale ». D'ALESSANDRI, *Atti di S. Carlo*, p. 59.

Simile quid pro visitationibus, in Dioecesi Bergomensi habitis, observandum est. Sub VI [38a] exstat descriptio status Cancelleriae, Tribunalis atque Archivi episcopalis, quae revera praestat impressionem res ibi bene et secundum regulas consuetas geri. Sed melius erit ipsis visitationis documentis hic loqui permittere »: Die lunae mensis septembris (anni 1575, scil. visitationis Bergomi habitae).

In visitatione officii cancelleriae et fori curiae episcopalis Bergomensis compertum ut infra, scilicet:

In loco contiguo cancelleriae sub saellis episcopalis palatii aligneum adest armarium, quod a cancellario nuncupatur archivium, in quo conservantur una pars scripturarum et praecipue processuum criminalium ac *libri visitationum* episcoporum nunc defunctorum, et nonnulla acta et visitationes pertinentes ad moniales dioecesis Bergomensis.

In *proprio* loco cancelleriae adsunt plura armaria, in quibus aliquarum reconduntur libri collationum, et libri actorum causarum civilium, necnon mandatorum et licentiarum diversarum ...

Dicta armaria et archivum iam dictum aperiuntur et clauduntur *unica et singula* clavi quae semper remanet penes notarium ...

ad *locum* cancellariae praedictae acceditur per cutem episcopalis palatii nec non per *parvam ia-*

[38a] Ulteriora ad rem invenies penes RONCALLI, *op. cit.*, vol. I, 1, pp. 294-96. Cum textus ad rem lingua latina huius tractatus appareat, in textu primario, non in notis marginalibus locum habeat oportet.

nuam ecclesiae quae Divae Mariae Majoris nuncupatur, respondentem in palatio episcopali, et haec deservit commoditati episcopi ...

Circa modum et formam notandi et conscribendi scripturas cancelleriae ... fiunt multi libri, in quibus aliquorum annotantur collationes beneficiorum ... in aliis notantur licentiae quae per ordinarium conceduntur sacerdotibus, ut curam animarum exercendi, celebrandi ... vel similia. (Nota hic bene tridentinum aspectum bonorum Ecclesiae, scil. spiritualium-supernaturalium, quae in archivis abhinc repraesentandi sunt simul cum bonis possessionis materialis). In aliis describuntur ordinationes, quae pro tempore fiunt et ibi adnotantur litterae dimissoriales.

Quoad processus criminales, pro causis peractis, omnia reducuntur in unum volumen, quod thomus (sic!) appellatur et *reconditur in archivis* et hoc fit quolibet anno, aut de biennio in biennio (!) prout patitur occasio et quantitas expeditionum ... ».

His omnibus simul sumptis ac consideratis, quivis facile admitteret res archivisticas in Curia bergomensi satis esse compositas. Sanctus visitator vero diversae opinioni indulgere videtur. « Bergomi varia puncta reformationis tractata, a Cardinali Borromaeo cum Episcopo suo Vicario.

1575 die sabbati 5 septembris. Archivum curiae episcopalis non adest formatum. Scripturae cancelleriae ab anno 1527 citra remanent succedentibus pro tempore in cancellaria. *Nullus* liber dimissoriarum. *Nullus* liber in quo inscribuntur concionatores. Hostium (sic!) per quod e cancella-

ria egressus est in ecclesiam S. Mariae Majoris teneatur clausum, ita ut nonnisi usui episcopi, cum per illud transire voluerit, inserviat »[39].

Note sparse
ad usum privatum Cardinalis Borromaei pro informationibus assumendis et decretis praeparandis circa curiam episcopalem et de aliis materiis. ... *Locus archivi opportunior aedificetur intra annum* ab episcopo. Archivum *quotidianum* habeat *solam clavem, reliqua* habeant plures »[40].

Hic sermo est sane durus, speciatim pro Episcopo, cuius Curia sese in forma satis cum ideis tridentinis conformi repraesentare potuit. Non est nimis difficile ex toto contextu et ex animo sancti visitatoris iam in Helvetiae itineribus observando, S. Carolum nulla re magis ad criticas animadversiones ac determinatas decisiones impelli valuisse quam per defectum securitatis receptaculi archivistici. Displicuit ostium, aditum relinquens ad ecclesiam S. Maria Majoris, ingressum abusivum permittens; id statim clausum teneatur. In memoriam revocando ordinationem pro tribus vallibus Helvetiae ubi duas, immo datis adiunctis, tres diversas claves pro parvulis archivis paroecialibus exegit, Sanctus se ad resistentiam seu oppositionem provocatum sensit, inveniendo unam tantum clavem pro quibusvis archivis. Bergomi quaedam securitas cum unicitate clavis erat coniuncta, quatenus custos eiusdem natus erat persona fiduciae publicae, scil. notarius; hic non sine gravibus ra-

---

39 RONCALLI, *op. cit.*, I, 1, pp. 308-10.
40 *Ibid.*, p. 372.

tionibus clavem e propria manu dimisit. Nihilominus cum omni rigore pro receptaculis archivisticis maioris momenti statim *plures* claves postulavit, pro archivo quotidiano vero seu pro negotiis ordinariis expediendis unam admisit. Mentis inflexibilis est obligatio Bergomensibus absolute imposita absque haesitatione seu *intra annum* verum ac proprium archivum esse aedificandum, in quo ipse principium securitatis custodiae sine dubio applicatum esse voluit.

Quibus omnibus comprehensis, facile statui potest visitationem bergomensem luce clarius veram sancti visitatoris intentionem de archivis tridentinam quodammodo in exemplo classico manifestasse. Textibus bergomensibus comparatis cum invicem, non remanet dubium, quin S. Carolus Borromaeus in archivis ordinatis ac bene administratis praestans medium ad exsequendam veram reformationem tridentinam viderit.

Opus nobile renovationis Ecclesiae in spiritu tridentino dominabatur in quibusvis sancti Archiepiscopi Mediolanensi motibus et mentis et cordis usque ad sanctam mortem, ante tempus a. 1584 aetatis quadragesimo sexto anno viribus exhaustis adductam. Retrospiciendo in expositiones ad eius activitates pro executione decretorum magni Concilii modo habitas, patet Sanctum in archivis erigendis seu custodiendis unum ex praestantibus solidae reformationis vidisse medium. Nil ideo mirum, quod S. Ecclesiae Cardinalis ac Princeps in suis praestantibus activitatibus, scil. in Synodis ac Conciliis ab ipso convocatis non minus

quam in visitationibus multis ac longis, problemati archivorum ecclesiasticorum praecipuam attentionem dedicaverit.

4. *De Benedicti XIII opera forti ad evolutionem archivisticam, iam ante eius constitutionem Maxima vigilantia data*[41].

Agnitis quoque eminentibus S. Caroli Borromaei de archivis ecclesiasticis meritis, speciatim pro Italia, tamen admittendum est sine interventu Francisci Orsini — ante et post eiusdem elevationem ad pontificatum — archivologiam in sensu Concilii Tridentini nunquam ad hodiernam perfectionem perventuram fuisse. Ipse revera gerebat in manu ea elementa, quae evolutioni archivisticae viam pararent. Franciscus Maria Orsini namque, nobili genere in castello Garvina prope Barium natus atque a teneri iuventute educatus,

---

[41] Ad confusionem vitandam hic statim, ubi persona Benedicti XIII Papae iterum ac saepius tractabitur, ad eiusdem pluralitatem nominum legentium attentio dirigatur. Praeter nomen papale apparent haecce: Secundum Pastor, *op. cit.*, v. XV, p. 468, infra, nomen, quod ante professionem in Ordine Praedicatorum gesserat, erat *Petrus Franciscus Orsini*; inde ab ingressu in vitam religiosam seipsum nominare consuevit *Fra Vincenzo Maria*; in editione *Actorum synodi dioecesanae ecclesiae Sipontinae*, ab ipso celebratae, miro modo legitur: *Vincentio Maria Vsino, Romano*, uti videbis in not. marg. n. 48 huius tractatus; uti auctor novit a sacerdote quodam beneventano, populus Beneventi in civitate in gratam eius memoriam eum appellare solet: Orsini-Papa vel Papa Orsini. Promiscue adhibentur nomina familiae originis: modo Ursini modo Orsini. Ne quis consultans fontes ac libros allatos autumet agi secundum varia nomina de diversis personis, auctor ex proposito transitum facit ab uno ad alterum, ita ut benevole legentes cum hoc parvulo problemate familiares evadant.

ibi revera eo in loco primas ac decisivas vitae impressiones acceperat, qui pons naturalis inde ab antiquis temporibus per medium aevum et porro Occidentem inter et Orientem, inter mundum latinum et byzantino-graecum considerabatur. Notum est Barium unum ex punctis fuisse, unde expeditiones ad liberandam Terram Sanctam ancoras solvebant. Episcopus gratia S. Sedis factus, Francisco obtigit Dioecesis Siponte (Manfredonia) gubernanda, quae antiquis diebus traditionibus graecis, exeunte epocha graeca, byzantinis etiam inscia populatione nutriebatur. Demum Archiepiscopus Beneventanus in venerabili civitate cum traditionibus scriptorii Cassinensis-Beneventani culturae graeco-byzantinae minime alienus factus erat; Beneventum namque saltem mediantibus civitatibus antiquis graecis Neapolis ac Barii aliquatenus cum cultura graeca et byzantina cohaerebat [42]. Triplici vinculo Franciscus Orsini, a. 1724 sub nomine Benedicti XIII Papa factus, ante suam elevationem summam sese cum mundo graeco vel melius graeco-byzantino arcte coniunctum sentiebat: nativitate atque educatione cum Bari, episcopatu per quinque annos cum Diocesi Sipontina (Manfredonia), multis longisque triginta annis qua Archiepiscopus ac Metropolita cum venerabili civitate Beneventi. Quod vinculum per papatum minime solutum fuisse evincere valent haec facta: Usque ad finem vitae maluit Archiepiscopus Beneventanus manere, non absque ma-

---

42 Vide apud D'ALESSANDRI, *Atti di S. Carlo*, p. 59, 2, col. supra.

gna Romanorum molestia; Beneventum duabus vicibus se contulit, ibi per quoddam tempus mansurus ac functiones episcopales exerciturus [43]; Beneventanis quosvis favores contulit eisdemque alta confidit munera in caeca atque saepe immerita praedilectione [44].

Elementa praestantia culturae ac traditionis graecae vel graeco-byzantinae sunt bibliothecae ac depositoria archivistica sive adhuc plus minusve conservata sive saltem in populi memoria perduratura. Unde facile est intellectu Franciscum Orsini suum sensum archivisticum ut haereditatem venerabilem aetate acceptam ulterius, specia-

---

[43] Ulteriora invenies penes UGHELLI, *Italia Sacra sive De Episcopis Italiae*, 10 voll., Venetiis, 1717-22, *Barium*, v. VII, coll. 589-93; *Beneventum*, v. VIII-IX, coll. 3-8; *Sipontum*, v. VII, coll. 809-11, ubi in brevi spatio concisae introductiones culturales-historicae praebentur. Quod attinet ad Beneventum in specie dicendum est illud mediante suo scriptorio speciales ac profundas relationes cum mundo olim graeco sustinuisse. Scientia directe loquitur de zona beneventana, qua haec civitas cum Neapoli, Monte Cassino, Bario et — quod magni est momenti — cum Dalmatia eiusque civitatibus Spalato ac Zara atque insula interiacente coniuncta erat. Pontem ad mundum graeco-byzantinum hoc modo exstitisse a limine patet. Consulta ad rem ulteriora apud LOEW, *The Beneventian Script. A History of Southern Italian Manuscript*, Oxford, 1914, pp. 47-83; quoad dictam zonam vide pp. 43-49, cartam geographicam ibidem insertam, quae magni est valoris. Cfr. etiam, quae habet *Enciclopedia Cattolica Italiana*, voll. 12, Firenze, 1949-54: Bari: II, col. 846, Benevento, coll. 1317-18; VII, Manfredonia (Siponte), coll. 956-57.

[44] Reconsidera ea, quae modo de praestantia Beneventi civitatis in nota praevia dicta sunt et confer, quod in ea per tantum tempus baculum pastoralem gesserat, ut praedilectionem eius erga valores archivisticos secundum traditiones antiquas byzantino-graecas bene habeas perspectam. Desiderium erga « suam civitatem » nunquam usque ad mortem perdidit.

tim Beneventi,[45] excoluisse. Documenta, chartae, manuscripta aerem antiquitatis exhalantia in eius oculis sine dubio aliquid veneratione dignum, immo sacrum, caute tractandum erant. Praedilectio erga valores graecos ac byzantinos, aliquantulum exaggerata atque suo altissimo muneri obnoxia, cedere debebat in magnum emolumentum pro archivis, secundum mentem Patrum Tridentinorum stabiliendis vel reformandis. Optime ergo Orsini erga valores sacratos inde ab antiquis temporibus dispositus erat. Triplex vinculum, modo descriptum, non est sola ratio talis dispositionis.

Adhuc aliud elementum eius erga antiqua tempora venerationem corroboravit. Scimus eum studiis incumbere nunquam satagere potuisse, Ecclesiae historia praedilecta. Dicunt eum *Annales ecclesiasticos* celeberrimi Baronii (1538-1607) viginti quattuor vicibus perlegisse[46]. Quid mirum hominem talis indolis mentisque documentis antiquitatis, quasi-vivis testibus peculiarem dilectionem dedicasse.

Reformatio tridentina in Francisco Maria Orsini, optime ad hoc munus disposito, ardentissimum propugnatorem invenit; ipse etenim tot fuerat monumentis antiquis per totam vitam circumdatus, quae inter documenta venerabilia emine-

---

45 Cfr. quae ad rem habet PASTOR, *Geschichte der Päpste*, v. XV, pp. 486-87.

46 NOVAES, de, *Elementi della storia de' sommi Pontefici da San Pietro sino al felicemente regnante Pio Papa VII*, (Roma, 1822), v. XIII, p. 48. PASTOR, op. cit., v. XV, p. 469. MORONI, *Dizionario d'erudizione storica, ecclesiastica*, 103 voll. + 6 indices,..., 1840-79, vol. II, « Baronio ».

bant, et praeterea solida scientia historica ut optima eorundem interprete munitus. Spiritum reformandi ad instar Sancti Caroli Borromaei et vita et doctrina indefatigabiliter prosequebatur. Opus a dicto Cardinali Sancto coeptum Orsini ulterius evolvebat et, in quantum a Sancto praepropere mortuo infectum relictum fuerat, ad finem a Concilio intentum sat prope perduxit. Mirum sane est, quod vir, a negotiis saecularibus, utpote religiosus Dominicanus, tam alienus, maxime strenuus archivorum tum organisator tum legislator evaserit; organisator, quatenus, uti decursu huius tractatus elucebit, manum practicam archivis Italiae meridionalis reformandis ac ad novam aetatem aptandis apposuerit; legislator, quatenus Codicis legislationem circa archivorum materiam vel usque ad ultimam ac definitivam phraseologiam, a legislatore nostri saeculi frequentissime verbotenus adhibitam, efformaverit. Enixe desiderandum est hoc Francisci Orsinii de archivis meritum magis magisque notum fieri, idque eo vel magis, quia ab historicis — pro dolor — nimis breviter fuerit absolutum [47].

Ab opere tridentino usque ad ultimam legum universalium Iuris Novissimi codificationem re-

---

[47] *Ibid.*, 486-87. Von sehr gutem Einfluss war seine Konstitution über die kirchlichen Archive ». PASTOR, *op. cit.*, v. XV, pp. 601-602. Pastor quidem refert ad articulum a Loevinson in *Gli Archivi Italiani* editum, de quo ulteriora in nota marg. inf. p. 6. huius invenies, ubi ad rem haec verba leguntur: « ... dove l'esecuzione dei severi dettami dei padri di Trento e specialmente di Carlo Borromeo lasciava ancora a desiderare, riparare tale difetto sentivasi portato l'Orsini ». *art. cit.* pp. 170-171.

late ad archiva ecclesiastica via longa atque ardua extendebatur; sine dubio forma Codicis sine Francisci Orsinii opera praeparatoria vix cogitari potest. Existit sane inter Orsinium ex una parte et Concilium Tridentinum ex altera parte relatio mutua in hoc sensu: Tridentinum enim, nisi ab Orsinio adiutum fuisset, ad fines ab ipso intentos non aut saltem non tunc temporis pervenisset; Orsini vero absque Concilii eiusque optimi interpretis, scil. S. Caroli Borromaei, inspiratione tam altum acumen operis archivistici nunquam nactus fuisset.

Qua introductione praemissa singula facilius patebunt. Vincentii Mariae Orsinii magna de archivis ecclesiasticis merita sub duplici aspectu clariora ac perspicuiora apparebunt, videlicet: 1) Ipse fuit magnus collector; 2) conservator ac restitutor documentorum antiquorum.

Ad 1) Cum Beneventi iam ante Francisci Orsini in episcopatus installationem principia a Concilio et Carolo Borromaeo data, in materia quoque archivorum, in praxim deducta fuissent, pro nostro proposito utilius erit, eius activitatem Sipontinam analysi subicere.

A limine patet virum, vitae prorsus supernaturali, valoribus mundanis pro sua persona spretis, inhiantem, in archivis organizandis ideali tridentino imbutum fuisse. Concilium sine dubio ad bonorum rectam et securam distributionem in Ecclesia intendens, evitatis hoc modo superfluis iurgiis iudicialibus inter christianos, nonnisi pacem expectans, hac in re severe processit. Praeterea bona ecclesiastica nonnisi, in mente Ecclesiae et

Concilii, honori Dei et operibus caritatis inservire debent. Unde Episcopi Orsini cura de rebus materialibus, mediante archivo ordinato Ecclesiae praeservandis, minime gentium tamquam avaritia vel simile quoddam interpretanda est, sed potius tamquam studium promovendorum finium altiorum. In actis Synodi dioecesanae Sipontinae inter alia haec continentur. Inter res in eiusdem actis tractatas eminent haec: cura patrimonii ecclesiastici promovendi vel augendi; inventarium de universo dioecesis patrimonio non solum simpliciter conficiendum, sed in hoc certas regulas ac formas legales religiose observandas; cuius inventarii exemplaria singulis locis piis per universam dioecesim sparsis distribuenda (sic quavis ambiguitate de possessione sublata et publica pace promota); archivum archiepiscopale ad pristinam integritatem, iterum collectis documentis alibi dispersis, restituendum (chartis deterioratis in meliorem statum redactis).

Praeterea insistit in sequentibus: in formando archivo in quavis parochia; quantum attinet ad pia loca, saltem in erigendis armariis securis pro colligendis chartis alicuius momenti; ad securitatem atque indisputatam possessionem obtinendam in conficiendis horum parvorum archivorum inventariis iisdemque deponendis in archivo archiepiscopali.

Ad adiuvandos omnes, quibus onus saepe arduum inventariorum recte conficiendorum incumbebat. « *Methodum ad inventaria ecclesiasticorum bonorum praeparanda* » velut libellum manuductorium edidit. Simile adminiculum erat: « *For-*

mula pro quinque libris paroecialibus exarandis ». Hoc loco bene attendas de « quinque libris paroecialibus » sermonem esse, quae verba auribus canonicis in posterum familiaria fient [48].

Medio aevo inventarium plerumque nihil aliud erat nisi medium probandae possessionis; abhinc chartarum archivalium certus ordo ac firma organizatio, secundum datas normas praestabilitas, observandus erit. Quicumque studii desiderio imbutus ad archiva accedebat, intentus solum ad certa ex cumulo immenso effodienda documenta, systema ibi neque expectabat neque quaerebat.

Novum systematizationis spiritum in Vaticani archivis flare, ex primo conatu sub Benedicti XIII Pontificatu suscepto clarissime elucet, scilicet innumerabilibus massis chartaceis ibidem congestis ordinem determinatum, scientificum imponendi [49]. Labyrinthum archivi secreti Vaticani, immensi valoris pro studio historiae, sub Francisco Orsini, qua Papa, auctore Petro Donnino

---

48 Vide de hac re plura in: *Acta synodi dioecesanae ecclesiae Sipontinae, a fr. Vincentio Maria Vsino* (sic!), *Romano, ord. Praed., miseratione diuina tituli Sancti Xysti s. R. e. presbyteri cardinali, Sancti Xysti nuncupato, archiepiscopo, celebratae diebus 30, 31 maij & prima iunij 1678* (Insigne) Maceratae, Typis Josephi Picconi, MDCLXXVIII, superiorum permissu, in 8° minori, 8 P., (Index)-517-I., pp. 308-09; 313-15; II., 358-69; 392-95. (Ob raritatem extremam operis plenissima citatio data est); ceterum eiusdem Synodi celebrationis mentionem facit MANSI, *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio,* 31 voll., Venetiis 1759-98, v. 36ter, coll. 465-66. Vide etiam utiliter *Coll. Lac.* I, coll. 47-27.

49 Consulta circa ulteriores de hac re informationes: BROM, *Guide aux archives du Vatican,* (2. ed. rev. et augm., Romae, 1911).

De Pretis, clavem pretiosam, iam diu desideratam, tandem aliquando accepit. Pro armariis septuaginta quattuor, quae archivum Paparum secretum continent, indicem, numero « 133 » notum, creavit in eoque uniuscuiusque armarii contenta, notatione manuscriptis apposita, mundo studioso scientificoque aperuit. Inde ab armario decimo nono, ea quae ibi contenta erant, titulo speciali, « rubrica » vocato, insignita non poterant, quin quaerentium attentionem attraherent. Indagines multo faciliores evadebant, tempore pretioso non amplius — sicut antea — inutiliter trito. Opus De Pretis suum usque ad hodierna tempora valorem scientificum retinuit. « Nostris diebus plures quam una harum rubricarum abbreviationes publici iuris factae sunt: id quod evincit inventarium de Pretisi semper adhuc considerari esse ducem pretiosum in labyrintho archivorum Vaticani » [50].

Aliquot deceniis postea eius opus fuit continuatum, modernisque ideis accommodatum a Josepho Garampi, (1725-1792), praefecto archivorum Vaticani circa tertiam ultimam eiusdem saeculi partem [51].

---

[50] De nos jours on a publié plus d'un extrait de ces rubriques: preuve évidente que l'inventaire de Pretis reste toujours considéré un guide précieux dans le labyrinthe des archives du Vatican ». *Ibid.* p. 8.

[51] Nota bene iam antea tentamina archivi Vaticani organizandi facta fuisse: *a*) sub Clemente VIII (1592-1605) archivi castelli S. Angeli dando maiori eius parti inventaria; *b*) sub Paulo V (1605-1621), qu anno 1611 colligendo in uno deposito centrali diversa funda archivistica proprius archivi Vaticani fundator evasit; *c*) sub Urbano VIII (1623-1644) archiva Congregatio-

Secundus index, cui numerus « 134 » tributus fuit, a De Pretis originem habet, scil. index archivorum Secretariae Status et quidem eius partis, quae in Vaticano remanserat, quamque hoc modo subdivisit: A. Nunziature e Legazioni. B. Lettere di Cardinali. C. Lettere di vescovi e prelati. D. Lettere di principi e titolari. E. Lettere di particolari. F. Lettere di soldati. Quod De Pretis aperiendo hae documenta historiae politicae epochae recentis maximum praestiterit servitium, nemo est qui negare audeat [52]. Speciali annotatione indiget hic sectio A., quae repraesentat Curiam Papalem inter et legatos, nuntios, internuntiosque habitas relationes officiales, litteris documentisque expressas. Quae collectio immensa anno 1731 a De Pretis item sub numero « 134 » inventario munita erat. « Volumina relate ad quamcumque nuntiaturam sunt commemorata unum post alterum singulatim, indicato brevi anno vel annis, quos volumen complectitur, et nuntio, cuius continet epistolas vel ad quem eaedem sunt directae ... » [53]. Bene notum est in mundo universo Leonem XIII (1878-1903) mense Januarii 1881 thesauros Archivorum Vaticani mundo scientifico aperuisse [54], abstractione generosissime facta a

---

nis Consistorialis anno 1625 statuta fuerunt. Vide de hac re Brom, in *op. cit.*, pp. 2, 54, 67, 187.

52 Brom, *op. cit.*, p. 71.

53 *Ibid.*, p. 73.

54 Schmidlin, *Papstgeschichte der Neuesten Zeit*, 4 Bde, München, 1933-39, 2. Bd. *Päpste und Papsttum gegenüber den modernen Strömungen, Pius IX und Leo XIII, 1846-1903*, p. 399. De duobus factis constat: Leonem per Breve 23 iun. 1879 in Archivum Vaticanum professorem Wirceburgensem vocasse eundem-

quavis religione aut natione; eum investigationibus historicis cuiusvis generis servitium saeculare praestitisse gratissime agnoscitur. At Archiva Vaticana tamquam massa impenetrabilis comparabilis silvae densissimae sine praecedenti opera De Pretisi et Garampi post ipsum mansissent. Id, quod Leo XIII intenderat, in effectum absque considerabili iactura temporis deduci minime potuisset. Neve sis oblitus haec omnia esse facta secundum voluntatem Patrum Tridentinorum atque intentionem magni Sancti reformationis, S. Caroli Borromaei et quidem sub Benedicto XIII, noto ut executore traditionum tridentinarum secundum nobile exemplum Sancti Archiepiscopi Mediolanensis. Neve dixeris haec omnia casui fortuito seu merae externae collaborationi inter Benedictum XIII ac De Pretis esse adscribenda.

Orsini sensum pietatis historicae supra e duabus radicibus derivare conati sumus: altera locali-geographica (e locis velut Bario, Benevento, Siponto vulgo-Manfredonia, quibuscum eius vita nexu intimo coniuncta erat), altera literari-scientifica (scil. studio historiae ecclesiasticae, imprimis Baronii famosi operis nempe Annalium). Hoc ut melius perspiciatur, operae erit pretium Francisci Orsini activitatem archivisticam Beneventi explanatam paucis verbis illustrare. Videmus eum

que motu propr. 1 maii 1884 regulas edidisse, secundum quas admissio generalis ad neoapertos thesauros secretos Archivi Apostolici procederet. Vide ad rem ulteriora penes: FINK, *Das Vatikanische Archiv,* 2. ed., Romae, 1943, pp. 4-5. In opinione cotidiana m. ianuarii 1881 consideratur ut felix temporis datum practicae admissionis mundi historiae devoti.

ibi absorptum esse studio documenta antiqua in statum pristinum quibusvis mediis sibi perviis restituendi. Non possumus ideo, quin eum pro laboratoriis archivis recentissimis adnexis, — velut in Archivo Nationali Foederali Washingtonii — in re tamquam praecursorem ac magistrum recordemus. Orsini, loquens de antiquis documentis, verbis nonnisi venerationem spirantibus utebatur, interque pretiosissima scripta historica sui archivi connumerabat bullam Leonis IX (1049-54) Ille Papa, utpote reformationem Cluniacensem in vitam vocans [55] Orsinii cordi, reformationi sui temporis adeo dedito, summopere propinquus debebat esse; non est ideo mirum, quod bulla illius ipsius Papae, reformatoris pro temporibus obscuris initii saeculi undecimi, magnis honoribus ab ipso circumdabatur et eiusdem possessione maximopere gloriabatur [56].

Orsini Beneventi a. 1709 totam documentorum antiquorum seriem physicae submisit revisioni ac restaurationi et hoc fecit cum fine proposito, ut, ubicumque id opportunum ullo modo vel etiam datis circumstantiis deplorabilibus necessarium videbatur, *a*) ea maculis defigurantibus usumque impedientibus expurgaret; *b*) partes prae aetate denigratas vel obscuratas novo quasi vestitu circumdaret; *c*) eis, sub climatis influxu curvatis planities ac lineas rectas restitueret; *d*) ea colligata 189 voluminibus, indiceque volu-

---

55 D'EGHISHEIM, *L'Alsace et l'Eglise au temps du Pape Léon IX,* 2 voll., Paris-Strasbourg, 1889, v. I., pp. 219-26.

56 UGHELLI, *Italia Sacra* sive *De Episcopis Italiae, Beneventum,* v. VIII, pp. 78-79.

mini praefixo, usui facili et administratorum rerum communium et virorum indagini historicae imbutorum pervia redderet [57]. Brevi: non parvus documentorum beneventanorum exercitus oculis omnium archiva quavis ratione frequentantium novum fulgentemque aspectum praebebat. Non est mirum exemplum tam splendidum imitatores in paeninsula invenisse. Imprimis notandum est auctoritates beneventanas civiles suum Antistitem enixe rogasse, ut suis quoque archivis digniorem formam tum externam tum internam reddere dignaretur. Sicut pro fine tam venerabili nobilique ab expensis haud parvis sese non refrenaverat, eadem generositate non tantum auctoritatum voluntati obsecundavit, sed etiam sumptibus suis opus, quod suo honori tribuit, perfecit.

Archiepiscopus munus honoris a perdilecta civitate sibi oblatum ea dignitate persolvit, quam omnes ab ipso expectaverant. Adhuc extat documentum in palatio communali Beneventi a senatoribus anno 1710 subsignatum, extollens Francisci Orsini laudes meritaque pro archivis civilibus paterna cura in dignum statum redactis. Semper et ubique illud proverbium — spiritum classicum et italicum concinne hac in re interpretans — prae oculis habebat (sibi notum saltem secundum sensum): « Sicut unguentis et vinis, ita et scripturis pretium addit antiquitas ».

Zelum admirabilem pro archivis erigendis vel

---

[57] Haec volumina sese referunt ad collectionem chartarum membranearum, quibus addere iuvat 3869 chartas papiraceas in 453 volumina congestas. Vide ulteriora apud Loevinson, in *art. cit.*

praeservandis prodit Franciscus Orsini qua Archiepiscopus Beneventanus ratione Synodi provincialis Beneventanae a. 1693. Ibi sub tit. XV in capp. I-IV *De Fide Instrumentorum* haecce constituuntur: Cap. I: *Archiva ab Episcopo instituantur. Capitula (archivum proprium) vel armarium in Episcopali constituant.* Capitula sunt sive Cathedralia sive insignium aliarum Ecclesiarum. Omnes scripturae quoad iura ac rationes Ecclesiarum sint bene reconditae, ne disperdantur. Cap. II. *Episcopi intra sex menses inventaria bonorum Ecclesiasticorum, nondum peracta, conficiant. Archivum Metropolitanum commendatur.* Quae inventaria ab omnibus Ecclesiis ac locis piis et quidem duo habeantur, quorum alterum remaneat in suo loco proprio, alterum penes Episcopum in competentibus archivis custodiantur. Cap. III: *Eorum, quae in Archivo servanda sunt, catalogus indicatur.* Contenta archivorum determinantur a S. Congr. Concilii literis comensibus ad Episcopum Comensem a. 1626, secundum quas implicite res mere civiles excluduntur. *Cap.* IV: *Episcopi Inventarium authenticum omnium suae Curiae actorum penes se habeant ... Poenae in actorum temeratores* recensentur. Pro casu mortis vel longae absentiae cautelae speciales adhibentur.

Franciscus Orsini, Papa electus a. 1724, anno insequenti statim Concilium Romanum convocavit, cuius decreta sub tit. XII *De Fide Instrumentorum,* capp. I-VI zelum de archivis atque inventa-

riis non diminutum remansisse probant [58]. Mutatis mutandis atque consideratis specialibus conditionibus Dioecesis Romanae, eadem principia, sicut in Synodo provinciali Beneventana a. 1693, relate ad custodiam salvam ac poenis severis ecclesiasticis coercendam, evoluta sunt. Etiam relate ad famosam instructionem comensem S. Congregationis Concilii a. 1626 aliqua leguntur [59].

Dependentia a suo magistro mediolanensi in rebus reformationis tridentinae atque archivorum ecclesiasticorum statim elucet ex Francisci Orsini insistentia in erectione depositorum archivalium in vel parvulis ecclesiis ac locis.

In visitationibus pastoralibus iterum ac saepius quaestiones ponendas esse circa materiam descriptam in titulo *De Fide Instrumentorum* ex duplici ratione patet: Primo S. Carolus, suum exemplar vitae, severas pro visitatoribus instructiones dederat, quas Franciscus ex veneratione sine dubio imitatus est; secundo iam propria praedilectio rerum archivisticarum eum ad visitationes exactas archivorum atque inventariorum compellere debuit.

Non parvipensis eius meritis immensis in aliquo campo, ubi non pauca in statu adhuc crudo per saecula remanserant, contra et pro « sine ira et studio » comparatis, sano criticismo progressui humano servitium haud exiguum praestatur. Videtur Orsini [60] praeferentiam aspectui biblio-

---

58 *Coll. Lac.*, I, coll. 38-40.

59 *Ibid.*, coll. 361-63.

60 Ad apicem pontificatus elevatus in memoriam Papae-Do-

thecario, etiam quod attinet materiam archivorum, dedisse. Ipse nimium, quam fas est pro archivista, loquitur de distinguenda materia archivistica in varias classes, catalogi procrusteo lecto, conformandas; id quod generatim est Scylla et Charybdis omnium eorum, qui e schola manuscriptorum librorum, in hac re bene instructi, egrediuntur.

Subordinare archiva directioni bibliothecarii est idea, cui nimis favere videtur, quando agitur de instituendis archivis collegiorum [61]. Ceterum abstracte quaestionem sumendo, nihil obstare videtur, quominus in una manu tum archivum tum bibliotheca eiusdem instituti ponantur. Consideratis vero adiunctis concretis vitae humanae,

---

minicani, undecimi huius nominis, cuius humilitatem imitari sibi proposuerat, nomen « Benedictus » adoptavit. PASTOR, *op. cit.*, v. XV, p. 467. Nota hic etiam magnum Papam Canonistam Benedictum XIV hoc modo exprimere voluisse: Benedictus XV — qui ultimam manum Codici imponens suum nomen inseparabiliter cum eiusdem promulgatione connexit — nomen adoptavit in piam memoriam unius ex praedecessoribus, qui sicut ipse eandem sedem cum Romana mutavit, scil. Bononiensem.

[61] Recordare bene ipsum Vaticanum reflexum adhuc ex tempore pristino — quo bibliothecarius simul erat archivista — ad nostros usque dies retinere. Adhuc in editione *Annuarii Pontificii* a. 1959 legere licet p. 39 « ... Cardinale bibliotecario e archivista S. R. E. »; uno quodammodo hiatu duo tituli penitus diversi in unum contrahuntur. Ob principiorum diversitatem, bibliotheconomiam ex altera, archivologiam ex altera parte regentium, talis unio vel contractio tantum historice explicari valet, quando aedificium bibliothecae antiquos libros non minus quam documenta archivistica continebat, domus domino seu bibliothecae una simul custodem annexorum partium archivalium representante. Ideo non est mirum, quod dictus titulus sentiatur tamquam historica recordatio a FINK, *Das Vatikanische Archiv*, Rom, 1943, p. 5[1]).

« Harmonia praestabilita » vix hoc in problemate inveniri poterit, neglecto aut fine bibliothecae aut archivi. Principia archivologiae et bibliotheconomiae nimium sunt disparata, ut ad utramque, vi non applicata, aeque adhiberi possint. Ceterum apud Orsini lis videtur potius esse de verbis quam de re. Quando agitur de practica principiorum applicatione, eius dilectio antiquitatis non videtur eum ad partialem neglectum valorum administrationi rei publicae servientium seduxisse.

Quantum ad « principium provenientiae », cum magno suo magistro Carolo Borromaeo id in commune habuit, ut principium in se sanum applicare etiam tunc studuerit, ubi potius damnosum fore expectandum erat; videlicet uterque illud usque ad minimas communitates extendere voluit, non obstante experientia non favorabili facta [62]. Etenim documenta, parva in communitate decursu temporis oblivioni obnoxia, facile disparebunt, sicque archivorum unus saltem finis essentialis facile frustrabitur.

III. De tempore, incipiente cum die promulgationis constitutionis. *Maxima vigilantia.*

Quod attinet ad archivologiam ecclesiasticam, post diem sollemnis conclusionis magni Concilii

---

62 Sala, A., *Documenti circa la vita e le geste di S. Carlo Borromeo*, Milano, 1857, v. I, pp. IX, spec. XI. « S. Carlo ebbe ... una specialissima premura a che ogni capo pieve avesse un proprio archivio » e « Evidentemente il papa (Benedetto XIII) era fautore dello sviluppo della conservazione dei piccoli nel sito stesso, *dove le carte erano nate* ». Loevinson, *art. cit.*, p. 203.

nullus apparuit lucidior illo, quo Benedictus XIII suam de archivis ecclesiastici edidit constitutionem *Maxima vigilantia,* scil. dies decimus quartus mensis iunii A. D. MDCCXXVII[63]. Si quis velit retrospiciendo examinare hoc celeberrimum documentum, in eo ea omnia inveniet contenta, quae inde a Concilio Tridentino in variis Conciliis provincialibus tum Caroli Borromaei tum Francisci Orsini diffuse tractata fuerant; si vero eam prospiciendo velis brevi analysi submittere, non poteris, quin similitudinem eam inter et *Ius Novissimum* in Codice Juris Canonici expressum facile animadvertas.

Generatim dicendum est in Ecclesiae historia paucos tantum textus tam altam ac publicam auctoritatem assecutos esse, quam constitutionem *Maxima vigilantia.*

Non obstante multitudine textuum e variis Conciliis particularibus iam extantium neque frequentia dispositionum hac in materia a variis Pontificibus factarum, codificatores legislationis archivisticae generalis (pro Ecclesia saltem Occidentali-Latina) nullam meliorem, ipsorumque proposito magis accommodatam formam invenire potuisse logica conclusione patere videtur. Sequens criticam editionem Codicis pro canonibus qui versantur circa archiva[64] paucissimis referentiis exceptis, passim nihil aliud invenies nisi relationem factam ad Benedictum XIII eiusque constitutionem

---

63 *Bull. Rom.*, v. XXII, pp. 559-67: *Fontes,* n. 93 (textus abbreviatus).

64 Cc. 375-84.

Maxima vigilantia. Consuetum aspectum in notulis criticis hic non invenies, velut nomina ac libros sparsim in Codice de fontibus mediaevalibus, e. g. e collectionibus canonum, deprompta.

Id quod adhuc magis auctoritatem constitutionis corroborat, est quod clare apparet non solum sensum eiusdem adoptatum esse sed Codicem saepe velut ad ultimum verbum textum praeformatum sequentem, ab eo non magis recedere quam hoc sive brevitatis causa sive propter abstractionem a localibus particularibusve conditionibus necessarium esse apparuerit. Claritatis causa de hac mutatione necessaria pauca hic addantur articulo; exemplum concretum illustrationis, simulque explicationis ex ipsius Codicis verbis sumatur: Canon 375 hoc modo legit: « ... in loco tuto ac commodo archivum ... erigant, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia diocesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur ». In *Maxima vigilantia,* (§) 2 haec invenies: « ... in loco tuto, congruo, non humescenti, unde scripturis lapsu temporis pernicies ulla inferatur ... armaria ... disponantur, et diligenter clausa custodiantur ». Similitudo textuum illico apparet. Ex altera parte animadvertere licet locum tutum esse locum non humescentem, proinde periculo immunem communiter noto in iis regionibus, ad quas nostra constitutio primarie directa fuerat. Cum constitutio processum illum esset subitura, quem « generalisationem » vocare velim, antequam ad universalis legis dignitatem elevaretur, quomodo hoc factum sit, a nostro exemplo derivare facile possumus. Codex

tantum duobus verbis utitur « tuto » et « commodo ». « Tuto »: abstrahendo a concreto periculi genere — quod pro orbis diversa parte toto caelo diversum erit — archivistis documentorum hoc unum inculcare intendit eosdem monere de protectione contra pericula, sive siccitatem nimiam sive oppositum velut in constitutione. Phrasis, sententiam secundum grammaticae regulas immutando, quantum fieri potuit, retenta est.

Sequens secundam referentiam in apparatu critico factam, scil. ad c. 375 § 2, studium brevitatis adhuc clarius manifestabitur. Ex longo textu § 5 constitutionis, medulla usque ad verbum fere transcripta, ea omnia non necessaria ac particularia elementa omissa sunt, quae potius pondus aggravans quam facilitatio possent esse. Compara textus allatos: *a*) Codex legit: « Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi »[65]. *b*) Constitutionis pars correspondens, haec verba habet: « ... omni diligentia et sollecitudine earumdem catalogum et inventarium conficiendum, et cum brevi singularum synopsi et lemmate vel summario describendum curent »[66].

Comparatione facta, observamus: post « synopsi » in textu constitutionis verba « lemmate » vel « summario », utpote tautologiam omnino superfluam continentia a Codice repudiantur. Codex videtur particulam « ac » praeferre alteri « et »,

65 C. 375, § 2.
66 Const. « *Maxima vigilantia* ».

sicque prodit studium linguae classicae, legalis, simplicis usque vel ad infima elementa pertingens, id quod codificatoris mentem magis decet quam cumulatio verborum ad instar rhetorum. Sicut in opinione antiquorum aër regebatur lege « horroris vacui », ita Codex gubernatur horrore verborum inutilium. Verba constitutionis partem, de qua in praesenti est sermo, ad « Patriarchas, Archiepiscopos, Ordinarios » hierarchice enumeratos refert. Codicis verba vero in loco parallelo solum ad Episcopos sese referunt, ex toto contextu quibusvis Ordinariis implicite inclusis; idem valet pro parte verba, supra abstracta, sequente. Nemo sane umquam putavit verbositatem constitutionis hic vel paululum claritati contribuisse.

Quod attinet archivum ad statum actualem quotannis renovandum, c. 376 §1 cum § 12 constitutionis fere adamussim, absque ullis abbreviationibus, concordat. Solummodo spatium temporis, pro hoc renovandi processu concesso, differt paulisper in Codice, ubi liberius bimestre admittitur.

C. 376 § 2 latiore ambitu gaudet quam constitutio, quatenus chartas scripturasque non solum pro tempore inventarii concinnandi colligendas esse iubet, sed talem Ordinarii obligationem habitualem esse declarat. Ceterum duo passus in constitutionis § 18 et in Codicis c. 376 § 2 unitate classica coagmentata sunt, iterum quavis verbositatis specie vitata.

Duae referentiae sequentes videntur Codicis studio maioris scil. brevitatis vel potius simplicitatis, in favorem constitutionis detrectare. Etenim duplicitas clavium prius erat firma regula, diffe-

rentia inter archiva secreta ac non-secreta non existente. Unde tunc duplex admissionis problema ante Codicem erat citra quamvis discussionem. In archivo generali promiscue quaevis chartae latebant, ideoque pro foro externo unus tantum erat modus iisdem utendi. Legi naturali atque conscientiae individuali superioris concedentis committebatur in casu particulari usum permittere vel recusare. Codex unam clavem archivo normali assignat, cum legislatores conscii essent, quantopere hoc modo tum quivis labor scientificus in archivis facilitatur, licentiis ab una clave dependentibus; praeterea servitia varia cum normali dioecesis administratione cohaerentia multo magis fluida evadunt, archivo secreto separato, duabusque clavibus in custodia secretorum conscientiarum protecto. Neve dicas Codicem, rem in *Maxima vigilantia* simpliciorem, magis complicatam reddidisse, in reliquis allatis exemplis modo opposito egisse; vel hic manifestum regressum Codicis statuendum esse. Sed ne oblitus sis administrationem decursu saeculorum in quibusvis institutis humanis complicatiorem factam esse, Ecclesia non exclusa, in quantum ab hominibus composita, eisdem servire destinata est. Verum est duplex genus archivorum creatum esse, sed rationibus supra datis consultatis, etiam relaxationes quoad servitia ab archivis praestanda in dies frequentiores fieri solent. Duplex referentia a Codice (ed. crit. Gasparri) ad constitutionis §§ 10 et 22 facta iterum probat, quantopere textus sint cognati, non obstante codicis fuga verbositatis. Prima pars § 10 constituit canonem 379 § 3, textus translatione ab archivo

generali ad secretum facta; § 22 initium ac finis efformant, sat accurate sicut in praecedente c. 379, canonem 378. Licentia utrobique relate ad chartas efferendas ab una tantum persona dependet: in Codice ab Episcopo vel Vicario Generali, in constitutione a praelato vel superiore. Merus ingressus, circa quem tot disputationes factae sunt, apud commentatores in archivum normale a licentia duarum personarum etiam secundum Codicem dependet: ab Episcopi aut Vicarii Generalis et cancellarii licentia, id quod videtur esse reflexus ex tempore, quo duplici clavi pro ingressu tantummodo opus erat.

Qua relatione inter Codicis textum et constitutionis verba paucis dumtaxat illustrata, breve summarium e constitutionis editione in Bullario hic complementi causa addatur: Statuuntur nonnulla de archivis in Italia sedium Episcoporum aliorumque religiosorum locorum erigendis, pro custodia iurium et scripturarum ad ea pertinentium: — Exordium ductum ab archivorum ecclesiasticorum necessitate. — Damna ex neglectis archivis provenientia. — Archivorum erectio intra sex menses. — Universa Capitula eademque eorum de re obligatio. — Eadem obligatio Superiorum regularium, collegiorum et locorum piorum utriusque sexus. — Catalogus scripturarum conficiendus. — Catalogi archivorum cathedralium, collegiatarum et monasteriorum ab archivista ibidem electo conficiantur. — Catalogi vero monasteriorum monialium et locorum piorum ab homine ab Episcopo vel Ordinario deputato conficiantur. — In ecclesiis conventualibus, collegiis, seminariis

et hospitalibus catalogi iidem archivorum per eorundem archivistam vel virum idoneum ab Administratoribus deputatum, coram primo officiali et camerario conficiantur. — Duo exemplaria catalogi eiusdem conficiantur. — Archiva duabus clavibus et seris claudantur. — Claves archivi beneficiatorum, cathedralium et collegiatarum. — Quotannis catalogi archivi adiungantur scripturae, anno praecedenti confectae. — Episcopi archiva omnino visitent. — Visitatio per eos etiam locorum, quae iure delegato visitant. — Obligatio visitationis archivorum Ordinum regularium per visitatores. — Archivista eligendus a Capitulis cathedralibus, collegiatis, in locis piis etc. — Praelati et Superiores scripturas inserendas curent. — Ordinarii chartas inquiri curent inserendas. — Obligatio episcopi decessuri vel ad longum tempus abeuntis inventarium archivi tradendi. — Cura archivi Praelato obeunte. — Mortuo Episcopo clavium custodia cuinam obveniat. — Regulae de archivi scripturis extrahendis. — Processus tradendi achivistae, qui successoribus suis scripturas exhibeat. — Ordinariorum provisio de scripturis parochiarum et locorum piorum conservandis. — Poenae pro neglectu supradictorum statutae. — Prelatorum cura haec observandi. — Clausulae derogatoriae oppositorum privilegiorum etc. — Conclusio severissime constitutionem inculcans.

Notatu sit hic digna constitutio Pii V, ad quam praesens constitutio sese refert, eam corroborando et amplificando: « ... Constitutionem a Pio V Antecessore nostro pro Archivis Sedium Episcopalium utriusque Siciliae olim vulgatam, et fraudes

ac subreptiones Scripturarum, quae tempore Sedium Vacantium perpetrabantur, etiam respicientes necessarium putavimus nonnullas alias Ordinationes et Statuta his nostris Apostolicis Litteris, perpetum robur habituris, edere ... »[67].

Constitutio Pii V hic relata obviare intendit gravibus abusibus in regno Siciliae durante sedis vacantia occurrentibus, scil. « quod, cathedralibus ecclesiis praesule viduatis, vicarii a capitulis constituti, gratia, timore, odio vel sordibus, quas volunt inquisitiones et testimonia rerum et causarum criminalium violant, subripiunt et lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur »[68]. Quibus conditionibus deplorabilibus praesuppositis, Episcopi a Pio V urgentur, ut inventarium actorum criminalium quolibet anno conficiant, et confectum custodiant. Poenae gravissimae, non exclusa inhabilitate ad dignitates, beneficia et officia, statuuntur[69].

Additur hic instructio in italico idiomate constitutionem amplificans, supplens et explicans. Cum haec tantum pro Italia proindeque pro clero eiusdem linguae data fuerit, solummodo in aliquibus excerptis decisivis[70]: I. *Scripturae ponendae*

---

[67] Const. *Maxima vigilantia.*

[68] Pius V, const. *Muneris nostri, Bull. Rom.* t. IV, p. III.

[69] Cfr. ea, quae not. marg. de ea iam dicta sunt.

[70] En textus originalis instructionis Orsini in quantum latine hic occurrit; ea maximi est momenti pro supplenda atque interpretanda constitutione *Maxima vigilantia*: Partes tantum principales hic afferuntur. Totum textum desiderans consultet: Loevinson, *art. cit.* pluries durante hoc tractatu, pp. 199-203.

Istruzione per le scritture da riporsi negli Archivi.

I. « Le scritture da riporsi e conservarsi in tutti gli archivi

et conservandae: in omnibus archivis Episcoporum aliorumque Ordinariorum, capitulorum, ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et receptaculis collegiorum, seminariorum, convictuum, congregationum, confraternitatum, hospitalium, monasteriorum regularium alterutrius sexus, aliorumque locorum piorum; II. *Scripturae particula-*

---

tanto de' vescovi e di altri ordinari, quanto de' capitoli delle chiese cattedrali, collegiali e recettizie, de' collegi, seminari, convitti, congregazioni confraternità, spedali, monasteri de' regolari dell'uno e dell'altro sesso, e di altri luoghi pii.

II. Scritture particolari da riporsi e conservarsi in tutti gli archivi de' vescovi e degli altri ordinari nullius, e che hanno giurisdizione quasi episcopale oltre alle sopradette del § 1.

1. Tutte le visite e i decreti di esse intorno a tutte le chiese e luoghi visitati dall'ordinario.

2. Le copie di tutte le relazioni che l'ordinario avrà fatte alla sagra Congregazione del Concilio nella visita de' sagri limini.

3. Tutte le delegazioni e assoluzioni e attestazioni che avesse ricevute il vescovo dalla sudetta Congregazione del Concilio circa la visita de' sagri limini.

4. Tutte le risposte della medesima Congregazione fatte al vescovo.

5. Le scritture che riguardano le materie della santa Inquisizione o Santo Ufficio, si ritengano in un armario dell'archivio a parte, serrato con chiave particolare, e con la soprascritta « Scritture del Santo Ufficio » ...

6. Tutte le scritture o atti intorno alle beatificazioni e canonizzazioni, e circa il culto o non culto de' servi di Dio, secondo le istruzioni della sagra Congregazione dei Riti.

7. Tutte le scritture delle ordinazioni o collazioni degli ordini, tanto maggiori quanto minori, a qualunque persona ». II et III hic sunt minoris momenti.

IV. Scritture particolari da riporsi e conservarsi nelle chiese parochiali oltre altre sudette nel § 1.

1. L'erezioni in parrochie.

2. I libri de' battezati e confermati, dei matrimoni e de morti: ne' quali si debbono fare da parrochi le descrizioni fedelmente e nel modo dovuto ».

res ponendae et conservandae in omnibus archivis Episcoporum et aliorum Ordinariorum « nullius » nuncupatorum, illorumque, qui habent iurisdictionem quasi-episcopalem praeter supradicta in I. Operae erit pretium subdivisiones huius II. breviter afferre utpote typicas in re:

1) Omnes visitationes peractae cum decretis iisdem in occasionibus datis relate ad omnes ecclesias locaque pia visitata ad Ordinario.

2) Exemplaria omnium relationum ab Ordinario S. Congregationi Concilii factarum occasione eiusdem visitationum ad limina persolutarum.

3) Omnes delegationes aut absolutiones et chartae certificantes, acceptae ab Episcopo, auctoritate eiusdem Congregationis relate ad visitationes ad limina factas.

4) Omnia responsa ab eadem Congregatione accepta ad relationes ab episcopo factas.

5) Scripturae relate ad materiam S. Inquisitionis vel S. Officii custodiantur in armario separato archivi, clauso clavi particulari, sub inscriptione « Scripturae S. Officii ».

6) Omnes Scripturae vel omnia documenta relate ad canonizationes ac beatificationes et ad quaestionem de cultu vel non-cultu servorum Dei secundum instructiones Congregationis Rituum.

7) Omnes scripturae referentes ad ordinationes vel collationes ordinum, minorum non minus quam maiorum, cuiuscumque personae.

Sequuntur quaedam relate ad problemata sacrae professionis, velut de seria voluntate, de dote novitiorum; quaedam de erectione fontium baptismalium. III. est minoris momenti pro nostro pro-

posito ideo sequitur IV: Scripturae particulares ponendae et conservandae in ecclesiis parochialibus praeter iam supra dicta in I.: Speciatim magni momenti pro nostro scopo sunt haec:

1) De erectione paroeciarum.

2) Libri baptizatorum et confirmatorum, matrimoniorum et mortuorum, qui libri a parochis conficiendi sunt fideliter et modo debito [71].

Momentum instructionis vix exaggerari potest, speciatim comparatione habita cum constitutione. Instructio etenim mederi valuit defectui cuidam, ex veneratione erga reformatorem sanctum mediolanensem adoptato: Ex omnibus hucusque e documentis allatis liquet S. Carolum archiva erigenda esse vel in minimis ecclesiis seu institutis iussisse, ita ut documenta ibi manere possint, ubi sunt ex administratione nata; hic Sanctus nimiam naturae humanae fiduciam exhibuisse vide-

[71] « S. Carlo ebbe... una specialissima premura a che ogni capo pieve avesse un proprio archivio » - SALA, A., *Documenti circa la vita e le geste di S. Carlo Borromeo,* 2 voll., Milano, 1857, v. I, p. IX, spec. XI. Ex altera parte habemus auctoritatem famosi Loevinson, qui Papam Archivistam eiusdem tendentiae accusat, hisce verbis: « Evidentemente il papa (Benedetto XIII) era fattore dello sviluppo e della conservazione dei piccoli nel sito stesso, dove *le carte erano nate* ». - *art. cit.,* p. 203. Testimonia allata virorum, in materia archivistica maxime versatorum, confirmat impressionem modo expositam. Eo sincerius est gaudium magnum Papam-Archivistam per suam *Instructionem* stagnationem archivisticam observandam feliciter superasse. Sicut quaevis evolutio in hoc mundo, problematis archivistici quoque maturitas per phases intermedias, veras ac falsas, pertranseat oportet.

Antequam haec ultima nota marg. absolvatur, adhuc auctoris est addere se in citationibus textuum proprio marte verba vel phrases magni momenti litteris, spatio ampliore relicto inter singulas earum, distinxisse.

tur. In paroeciis vel communitatibus parvis localibus periculum dilapidationis est multo maius quam in depositoribus centralibus archivisticis, ubi vigilant personae e pluribus communitatibus, auctoritate maiore munitis. His ultimis adhuc diebus auctori conquestus est vir de facto, quod in sua civitate archivum locale praeseferret disordinem chaoticum, quoniam nullius de documentorum fidelis custodiae intersit. Malo fato Franciscus Orsini archivis, in *loco provenientiae* manentibus aliquantulum nimis favebat, sicut constitutio classica archivistica probat. Bonus spiritus ei *Institutionem* — partibus decisivis praesentatam — suggessit; ea est revera plena idea practica documenta esse colligenda, praeservanda ac protegenda in archivis superioribus.

C. Tractatu praesenti ad finem perducto atque evolutiones legislationis archivologiae secundum phases praestantes modo generali inde a Concilio Tridentino usque ad Codicis Iuris Canonici promulgationem data, perorationis causa lineae principales prosilienses tamquam conclusiones addantur.

Modo brevissimo magnum Concilium ad archiva ecclesiastica stabilienda vel renovanda adhortatum erat. Tempus confusionis ac periculi dispersionis chartarum ac documentorum praecessisse censendum est; secus clamor tam universalis ad archiva claustris securis protecta explicari non posset. Melior custodia valorum archivisticorum erat una ex curis prementibus animum S. Pii V non minus quam Sixti V, S. Caroli Borromaei aeque ac Benedicti XIII. Duplicitas clavium cum cer-

to rigore severis poenis ac minis inculcari coepta est. S. Congregatio Concilii, viva ac perdurans interpretatio decretorum reformationis magni Concilii, ad solidam documentorum custodiam per celeberrimas litteras comenses evocavit.

Duae debilitates continuabant ahaerere nobili operae archivisticae eiusque evolutioni celeriori obesse: Primo devotio exaggerata erga principium nuncupatum « provenientiae » et postulatum inde derivatum permanentiae documentorum in loco originis. Clamor rigorosus ad securam custodiam per tale postulatum frustrari videbatur atque id, quod obtentum erat, iterum evanescere. Secundo adhaesio ad regulas bibliotheconomiae eiusque *classificationis* principium passim observata, quod sanae evolutioni archivologiae omnino debebat esse oppositum.

Veloci progressui archivologiae ecclesiasticae Sixtus V contribuisset, si sibi ipsi constans mansisset. Visione quodammodo prophetica in archivo centrali pro tota Italia solutionem ultimam archivologiae aspexit. Si executionem ideae malo fato revocavit, ei tamen in profundo corde fidelis mansit eamque in mensura minore ac limitata saltem pro aliquibus Congregationibus Monasticis in praxim induci voluit. Per saecula dicta idea dormiebat, usque dum in Archivo Foederali Washingtoniensi pro Statibus Unitis Americae Septentrionalis nostris demum diebus resurgeret. Dolendum est, quod codificatores *Iuris Novissimi* hoc factum nondum viderint; secus in sua legislatione archivistica (cc. 372-84) praeclara ac concinna multo magis determinati esse potuissent. Iidem vero, aerem

novum in atmosphaera archivistica flare sentientes, nonnisi prudentissime egerunt, relinquentes lacunas, cum progressu ulteriore archivologiae adimplendas.

Codificationem praeclarissimo modo praeparaverat Papa dignus, cui nomen honorificum « Papa-Archivista » a scientia archivologiae tribueretur, Benedictus XIII. Eiusdem immortalis constitutio *Maxima vigilantia* exemplar evasit, utpote continens ea omnia, quae inde a Concilio Tridentino prudentissimi Ecclesiae archivistae per longam experientiam ac praxim acerrime excogitaverant.

Ceterum tractatus praesentati auctor, intendens praesentibus lineis generalibus tantum brevem conspectum evolutionis praebere, ex proposito hic abstinuit a nimio descensu ad singula; ipse sperat tamen se eandem materiam Deo volente in forma ampliore ad instar compendii offerre posse.

(Henricus L. Hoffmann)

MONUMENTA

SS. D. N. IOANNES Pp. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

PONTIFICIUM CONSILIUM REI CINEMATOGRAPHICAE, RADIOPHONICAE ET TELEVISIFICAE PRAEPOSITUM NOVIS LEGIBUS CONSTITUITUR.

(AAS LI [1959] 183-187)

IOANNES PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Boni Pastoris universi gregis Dominici munus, quod, Summus Pontifex inaugurati, « Nobis peculiarissimo modo cordi esse » asseveravimus [1], Nos iubet cum animum ad quamvis Ecclesiae necessitatem numquam non referre, tum praecipua sollicitudine ea expendere omnia, quae, progrediente civili cultu hac aetate invecta, non parvum momentum habent ad spiritualem hominum vitam; in quibus radiophonium, televisio, cinematographeum merito numerantur.

Iam Decessor Noster imm. mem. Pius PP. XII, gravibus editis Encyclicis Litteris sermoni-

---

1 Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. L, a. 1958, p. 886.

busque habitis, non semel christifideles omnesque recta mente praeditos homines de haud levi monuit officio, quo obligarentur, ut mirandis hisce technicae artis inventis uterentur secundum providentis Dei consilium atque modo dignitati hominis congruente, cui perficiendo oportere illa deservire.

Cuius rei gratia eidem Decessori Nostro « curae fuit hac in Romana Curia peculiare Consilium constituere »[2], cui mandavit, ut iussa et praeceptiones diligenter exsequeretur, quae, in iisdem Encyclicis Litteris, a verbis « Miranda prorsus » incipientibus, proposita, fidem, mores ac disciplinam ecclesiasticam in re radiophonica, televisifica, cinematografica attingerent[3].

Mentem igitur Nostram in graves quaestiones, quae e praedictis artibus technicis ad voces imaginesque communicandas institutis exsistunt circa mores publicos, cogitatorum propagationem et institutionem iuventutis, intendentes — quibus inventis animi solent tantopere moveri — exhortationes et praecepta eiusdem Decessoris Nostri resumere et confirmare cupimus atque instrumenta illa, a benignissimo Deo hominibus impertita, pro viribus certa efficere adiumenta virtutis et probitatis. Neminem enim latet, quantum res cinematographica vel radiophonica vel televisifica possit ad altiorem humanitatis cultum, ad veri nominis artem et maxime ad veritatem propagandam pervulgandamque.

---

2 Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XLIX, a. 1957, p. 768.

3 *Ibid.*, p. 805.

Cum Venetiarum ageremus Patriarcham, homines arti cinematographicae pro munere deditos, interdum circa Nos congregatos paterno animo sumus cohortati, atque, arcano providentis Dei consilio ad Petrianum Solium evecti, benevolentiam Nostram rei radiophonicae, televisificae et cinematographicae cum officii onere praepositis testati sumus [4], neque deinceps ullam opportunam omisimus occasionem eos commonendi, ut munere suo ad christianae nobilitatis rationem eidem praestitutam fungerentur.

Attamen non sine animi maerore pericula morumque detrimenta significare debemus, quae haud raro e propositis taeniolis cinematographicis et radiophonicis sonis imaginibusque televisificis propagatis oriuntur, quibus mores christiani ipsaque dignitas humana pessumdentur.

Itaque omnes, in quos huiusmodi spectaculorum et auditionum ratio recidit, patris animo etiam atque etiam hortamur, ut legibus conscientiae rectae et integrae obsequantur, quemadmodum eos addecet, qui gravissimo tenentur officio alios educandi.

Simul vero Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis iterum mandamus, ut invigilent et experta cum sollicitudine variis consulant apostolatus rationibus, quae praedictis Litteris Encyclicis, quarum priora verba « Miranda prorsus », suadentur, nominatim vero Nationum

---

4 Cfr. *Epistulam* n. 117 ab Officio publicis Ecclesiae negotiis expediendis die IV mensis Novembris anno MDCCCCLVIII ad Praesidem Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae accurandae datam.

Officiis, in quaque regione eo consilio institutis, ut quidquid in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, dirigant rectoque ordine componant [5]. Quibus ex inceptis plurimum tribuimus iis, quae ad formandos mores et ad ingenii cultum promovendum pertinent, veluti ostensio taeniolarum cinematographicarum ac de iis inita disceptatio, quae eximia arte praestent morumque commendatione.

Cum autem natura ipsa eiusmodi instrumentorum ad voces imaginesque propagandas aptorum postulet — etiam ad Sedis Apostolicae ius et auctoritatem quod attinet —, ut in rebus dirigendis agendisque unitas servetur, Nos, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, has normas statuimus, quibus praedictum Consilium Pontificium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum in munere obeundo obstringatur, iis derogantes regulis, quae eiusdem Consilii legibus ad praesens usque tempus vigentibus continentur [6].

Nos igitur decernimus ac definimus, ut Pontificium Consilium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum sit firmum ac stabile institutum ut Sedis Apostolicae Officium, cui id propositum sit, ut varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones examinet, suo foveat adiumento ac dirigat secundum

---

5 Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XLIX, a. 1957, p. 783-784.
6 Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XLVI, a. 1954, p. 783-784.

mandata normasque, Encyclicis Litteris, quibus a verbis « Miranda prorsus » initium, proposita et secundum alia Sedis Apostolicae praescripta in posterum edenda.

Huius deinde Pontificii Consilii est: cognoscere, quo propendeant et quo modo reapse peragantur cinematographicarum imaginum series, auditiones radiophonicae, spectacula televisifica; dirigere et incrementis augere operam Coetuum catholicorum ex omni natione atque Officiorum ecclesiasticorum singulis in nationibus constitutorum, rem cinematographicam, radiophonicam ac televisificam curae habentium, praesertim quod attinet ad taeniolas cinematographicas pro morum ratione in genera describendas, ad radiophonicas sonorum ac televisificas imaginum transmissiones religioni propagandae destinatas, et ad conformandos christifideles, maxime iuventutem, ad christianum conscientiae officium, quo circa spectacula devinciantur [7]; denique communicare cum Sedis Apostolicae Congregationibus et Officiis, cum Coetibus Episcopalibus singulisque Ordinariis locorum de iis, quae ad multiplices ac difficiles quaestiones huiusmodi pertinent.

Sacrae autem Romanae Curiae Congregationes ceteraque Sedis Apostolicae Officia hoc Consilium rogent sententiam, antequam aliquid decernant iubeantque vel quidlibet agendi potestatem faciant, quod ad rem cinematographicam, radiophonicam ac televisificam attineat, atque idem

---

[7] Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XLIX, a. 1957, p. 780 ss.

Consilium de praeceptionibus, quas pro sua cuiusque auctoritate dederint, certius reddant.

Pontificio Consilio rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praeposito moderatur Praeses, qui per sex mensium intervalla de eiusdem Consilii opera referat.

Eiusdem vero Consilii participes sunt: Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum Sancti Officii, Consistorialis, pro Ecclesia Orientali, Concilii, de Religiosis, de Propaganda Fide, de Seminariis studiorumque Universitatibus atque Substitutus Officii publicis Ecclesiae negotiis expediendis; cui alii praeter hos ad beneplacitum Nostrum ascribi poterunt.

Praesidi in rebus gerendis Vir ab actis Consilii aliique praesto erunt Officiales [8].

Consilio praeterea auxilium praebebit coetus Consultorum a Sede Apostolica electorum, qui apostolatus in re cinematographica, radiophonica ac televisifica exercendi in primis periti sint.

Eidem Consilio cura Cinematothecae Vaticanae creditur, quam ideo instituere volumus, ut artis cinematographicae specimina, quae Sedis Apostolicae intersint, in unum congerantur.

Denique in Urbe Vaticana sedem habeat constitutam idem Consilium, quod Officio publicis Ecclesiae negotiis accurandis aggregatur.

Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Cuius Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositi in-

---

[8] Cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XLIII, a. 1951, appendix fasciculi 8, p. (3).

ceptis et operibus ex animo Nos iuvat benedicere, qui praeterito iam tempore frugiferam eius navitatem valde probavimus.

Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Februarii, anno MDCCCCLVIIII, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PP. XXIII

MOTU PROPRIO

PONTIFICIUM ATHENAEUM LATERANENSE UNIVERSITATIS TITULO ET HONORE DECORATUR.

(AAS LI [1959] 401-403)

Cum inde ab aetatis flore multiplices coniunctionis necessitudines Nobis intercedant cum praeclara illa studiorum sede, ubi sacra studia peregimus ac magistri munere functi sumus, sponte fit, idque grati animi suadet officium, ut Pontificium Athenaeum Lateranense propensissima voluntate complectamur. Qua quidem benevolentia — cuius

singulare testimonium exhibere placuit in ipsis Pontificatus exordiis, cum Athenaeum praesentia Nostra et auspicali sermone honestavimus — tanto magis afficimur ad Petri Cathedram evecti, quanto Nos exinde artioribus vinculis illi iuventutis Nostrae veluti sacrario devinciri sentimus; inibi enim iuvenis huius almae Urbis Clerus suam habet studiorum altricem domum, ubi sanam doctrinam dignumque sacrorum ministris animi cultum accurata institutione percipiat. Postulat igitur accepti beneficii memoria, postulat Romanae Sedis bonum et decus, ut omni ope Institutum tueamur ac promoveamus, quod quidem et loci sanctitas et plurima de doctrinae sacrae incremento promerita et indeclinata erga Apostolicam Sedem fidelitas omni tempore commendarunt.

Haud quidem ignoramus sedulas curas a Decessoribus Nostris in id opus provide collatas, praesertim vero novas easque amplissimas ad Lateranum e solo exstructas aedes, itemque varia quae subinde acesserunt ibidem Instituta: Institutum dicimus Pastorale atque Institutum a « Iesu Magistro » nuncupatum, a proximo Decessore Nostro Pio XII fel. rec. recens condita, necnon Pontificiam Romanam Theologicam Academiam ab eodem Pio XII sapienter restauratam. Quae omnia procul dubio effecerunt, ut Lateranense Athenaeum maiora in dies caperet incrementa. Nihilominus peculiaris Noster amor erga eiusmodi studiorum domicilium aliud Nobis peragendum poscit, quo plenius eius decori consulatur. Scilicet probe novimus hucusque adhibitam Pontificii Athenaei Lateranensis appellationem haud satis res-

pondere muneribus et officiis, quae eidem Athenaeo demandata ab eo egregie ac laudabiliter explentur. Nec de nomine tantum hic agitur, verum de re etiam, quae ipsam afficit debitam existimationem ei conciliandam. Habita enim nominum ratione, quibus apud varias Nationes altioris ordinis studiorum Instituta nuncupantur, eadem constat communiter, alicubi autem etiam unice, Universitatis donari nomine. Quapropter ut apud doctos viros Athenaeum Nostrum ea, qua par est, opinione floreat atque pro merito aestimetur — cum alumnorum etiam emolumento, exterorum praesertim, quibus magna ex parte illius studiosae iuventutis familia coalescit — plures Purpurati Patres de Athenaei dignitate solliciti, in quo vel studiorum curriculum emensi sunt vel magistros egerunt, flagrantibus optaverunt votis, ut Athenaeum Lateranense titulo Universitatis decoraretur; eo vel magis quod ea omnia iam amplectitur, quae ad Universitatis dignitatem pertinent, ad normam Constitutionis Apostolicae a Pio XI fel. rec. promulgatae, cui index « Deus scientiarum Dominus » (*A. A. S.* XXIII, 1931, p. 241-284).

Itaque, omnibus mature perpensis, perplacet Nobis, ut Lateranense Athenaeum, sicut studiorum ratione, ita etiam pari nominis dignitate inter cetera eniteat Athenaea. Motu autem proprio ac Nostra Apostolica Auctoritate decernimus atque declaramus Athenaeum ad Lateranum canonice erectum — quod Facultates complectitur Sacrae Theologiae ac Philosophiae, Pontificium Institutum Utriusque Iuris, Pontificium Institutum Pastorale, Pontificium Institutum a « Iesu Magis-

tro » — nunc et in posterum *Pontificiam Universitatem Lateranensem* esse nuncupandum; simulque volumus ut nova haec appellatio Athenaei statutis ac legibus inseratur, quae quidem sua vi firma vigere pergunt.

Quaecumque vero a Nobis hisce litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Roma, apud S. Petrum, die XVII mensis Maii, in Festo Pentecostes, anno MDCCCCLIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PP. XXIII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

I

NOTIFICAZIONE

(AAS LI [1959] 271)

Si rende noto che la Suprema Sacra Congregazione del Sant'Offizio, prese in esame le asserite visioni e rivelazioni di Suor Faustina Kowalska, dell'Istituto di Nostra Signora della Misericordia, defunta nel 1938 presso Cracovia, ha stabilito quanto segue:

1. doversi proibire la diffusione delle immagini e degli scritti che presentano la devozione del-

la Divina Misericordia *nelle forme proposte dalla medesima Suor Faustina;*

2. essere demandato alla prudenza dei Vescovi il compito di rimuovere le predette immagini, che eventualmente fossero già esposte al culto.

Dal Palazzo del S. Offizio, 5 marzo 1959.

UGO O'FLAHERTY, Notaro

II

DUBIUM

(AAS LI [1959] 271-272)

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione utrum catholicis civibus in eligendis populi oratoribus liceat suffragium dare iis partibus vel candidatis qui, etsi principia catholicae doctrinae opposita non profiteantur, imo etiam christianum nomen sibi assumant, re tamen communistis sociantur et sua agendi ratione iisdem favent.

Feria IV, die 25 Martii 1959

Emi ac Revmi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, respondendum decreverunt:

Negative, ad normam Decreti S. Officii, diei 1 Iulii 1949, n. 1 (*A. A. S.,* vol. XLI, 1949, p. 334).

Feria autem V, die 2 Aprilis eiusdem anni, SSmus D. N. D. Ioannes divina Provindentia Papa XXIII, in Audentia Emo ac Revmo Dño Car-

dinali Pro-Secretario S. Officii concessa, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit atque publicari iussit.

Datum Roma, ex Aedibus S. Officii, die 4 Aprilis 1959.

Hugo O'Flaherty, *Notarius*

III

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

(AAS LI [1959] 432)

Feria IV, die 4 Iunii 1958

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros ab Henrico Duméry conscriptos:

1. *Philosophie de la religion,* Presses Universitaires de France, Paris, 1957, 2 voll.;
2. *Critique et Religion,* Sedes, Paris, 1957;
3. *Le problème de Dieu en philosophie de la religion,* Desclée de Brouwer, Bruges, 1957:
4. *La Foi n'est pas un cri,* Casterman, Tournai, 1957.

Feria autem V, die 12 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia Emo ac Revmo Dño Card. Pro-

Secretario S. Officii concessa, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Roma, ex aedibus S. Officii, die 17 Iunii 1958.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

IV

INDULTUM

PROCLAMANDI, VERNACULA LINGUA, EPISTOLAM ET EVANGELIUM

die 11 februarii, anno 1959 (Prot. Nr. 592/58)
(Kirchliches Amtsblatt für die Diözese Mainz 101 [1959] 33)

Em.mo ac Rev.mo Domino D.no Josepho Card. Frings, Archiepiscopo Colonien.

Em.me ac Rev.me Domine Mi Obs.me,

Litteris die 23 novembris 1958 ad S. Congregationem Rituum datis, quae huc competentiae causa transmissae sunt, Eminentia Tua Reverendissima petiit, nomine Praesulum ad Conferentiam Episcopalem Fuldensem pertinentium, ut Indultum concederetur proclamandi, vernacula lingua, Epistolam et Evangelium postquam latine per ipsum celebrantem vel Ministros sacros, sive in Missis cantatis, sive in lectis, prolata sunt.

Ad rem Eminentiae Tuae communico Supremam hanc S. Congregationem, re mature perpensa, petitum Indultum concessisse atque decrevisse: « *Pro gratia, iuxta preces* ».

Velit Eminentia Tua hanc facultatem, quo meliore duxerit modo, cum ceteris istius Conferentiae membris communicare, ipsosque invitare ut sedulo invigilent nec in lectionum lingua vulgari proclamatione, versiones adhibeantur quae a competenti auctoritate non sint adprobatae.

Hanc occasionem nactus Manus Tuas humillime deosculor atque altissimae venerationis meae sensus Tibi obtestor permanens humill.mus atque addit.mus Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ G. Card. Pizzardo, *a secr.*

Sacra Congregatio Consistorialis

DECRETUM

DE SACRORUM LIMINUM VISITATIONE A VICARIIS CASTRENSIBUS PERAGENDA

(AAS LI [1959] 272-274)

Ad Sacra Limina properare, *non sine Spiritus Sancti instinctu,* universi locorum Ordinarii, priscis iam ab aevis, iussi sunt, quatenus iisdem licuit licebitque Ei, testante S. Gregorio PP. I, ex cuius largitate sunt Pastores gratiarum solvere actiones, Apostolorum Principum Petri et Pauli sepulcra, in *regia Urbe Roma,* tamquam fidei petram et sacerdotalis unitatis fontem, venerari, atque tandem de grege sibi commisso Romano Pontifici relationem facere.

Utrumque enim, et visitare Limina et relationem facere, in ipsa Ecclesiae natura et constitutione, ut notum est, nititur atque e *sacro Petri Primatu necessario fluit.*

Quandoquidem Vicarios Castrenses inter Praelatos Ordinarios accensendos esse neminem latet; iurisdictione enim ordinaria, personali, speciali, licet cumulativa, ad normam Instructionis De Vicariis Castrensibus « Sollemne semper », pollent et, quod maioris interest, unius Ordinarii Castrensis — Romani scilicet Pontificis — veri dicendi sunt Vicarii.

Dominici gregis portio, Vicariorum Castrensium iurisdictioni obnoxia, genere et copia vere conspicua censenda est, quippe quae iuvenibus redundet hominibus, Patriae decori, eidemque tutandae mancipatis et disciplinae rigore ad id instructis vel instruendis, quorum mores vitaeque instituta catholicae rei servandae ac in unaquaque natione fovendae maxime conferre solent.

De eorum animarum aeterna salute apprime sollicitam Apostolicam Sedem fuisse, plurimi canonice erecti in Orbe Vicariatus Castrenses atque haud rara, novissimis praesertim hisce annis, edita documenta prelucide testantur.

Imo, de copiarum spirituali condicione deque vitae ratione ut certior redderetur, Romanus Pontifex Pius PP. XII, fe. re., decrevit tertio quoque anno S. Congregationi Consistoriali de actis et de statu Vicariatus Castrensis relationem per Vicarios Castrenses exhibendam esse, atque Formulam in relatione conficienda, ex novo exaratam, servandam praescripsit.

Nunc autem, SSmus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia PP. XXIII, ne quidquam omnino Illum lateret earum rerum quas ad gloriam Dei augendam et ad animarum salutem procurandam necessario Eundem scire ac intelligere oportet; confisus insuper Vicarios Castrenses, si Summi Romanae Ecclesiae Pastoris complexu recreati eiusdemque colloquio confortati, alacriores instructioresque ad suos regendos greges perrecturos, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, derogando, quatenus opus sit, omnibus in re antea praescriptis, praesenti Consistoriali Decreto decernit ac mandat:

1. Omnes Vicarii Castrenses, in universo orbe Apostolica auctoritate constituti, ad Urbem, Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli Limina veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant, de toto eorum pastorali munere rationem reddentes et vicissim mandata Apostolica recipientes.

2. Visitationis opus expleant anno quo locorum Ordinarii eiusdem nationis, cuius Vicarii Castrenses constituti sunt, ad normam can. 341, § 1, 2 C. I. C. tenentur.

3. Licet Vicarius Castrensis dioecesim quandam simul regat, huiusmodi obligationi una eademque Visitatione satisfacere valet.

4. Vicarius Castrensis praedictae obligationi per se ipse satisfacere debet, aut, ex iustis causis, a S. Sede probandis, per Episcopum Auxiliarem vel Cappellanum Maiorem.

5. Relatio super statu Vicariatus Castrensis singulis quinquenniis fiat, eodem, scilicet, anno quo Sacrorum Liminum Visitatio peragi debet.

6. Si autem annus, pro Visitatione peragenda simulque Relatione exhibenda assignatus, inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab initio Officii regimine, Vicarius Castrensis, pro ea vice, a Visitatione facienda et ab exhibenda Relatione abstinere potest.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 28 mensis Februarii anno 1959.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ L.

† Iosephus Lerretto,
Archiep. tit Serdicensis, *Adsessor*

Sacra Congregatio Rituum

INDULTUM

ADHIBENDI LINGUAM VERNACULAM
IN HEBDOMADA SANCTA

die 9 martii, anno 1959
(Kirchliches Amtsblatt für die Diözese Mainz 101 [1959] 33)

Beatissime Pater,

Joseph Cardinalis Frings, Archiepiscopus Colonien. et Praeses Conferentiarum Episcopa-

lium Fuldensium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, unanime votum Praesulum ad has Conferentias pertinentium profert, nempe:

Cum in Missa Dominicae II Passionis seu in Palmis et in Solemni Actione Liturgica Feriae VI in Passione et Morte Domini, atque in Vigilia Paschali propter longitudinem textuum Lectionum, imprimis sic dictarum Prophetiarum et Evangeliorum Passionis Domini, has lingua Latina primum cantari, deinde lingua vernacula proclamari non expediat, humiliter postulatur, ut iisdem Praesulibus indultum concedatur, ad experimentum, ut sacerdotibus celebrantibus ipsis, vel ministris, in praedictis actionibus liturgicis textus de quibus agitur directe vel immediate lingua vernacula proferre liceat, ne fideles intellectu verbi Domini quo pescantur, praesertim diebus quibus maximum Redemptionis Mysterium recolitur, priventur.

Et Deus ...

DIOECESIUM GERMANIAE

Sanctissimus Dominus noster JOANNES Divina Providentia Papa XXIII, referente infrascripto S. Rituum Congregationis Praefecto in Audientia diei 9 Martii anni huius eidem concessa, omnibus mature perpensis, precibus supra descriptis ita rescribere benigne dignatus est: PRO GRATIA AD EXPERIMENTUM, AD ANNUM.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

sig. C. Card. CICOGNANI, *S. R. C. Praef.*